

616

e 99d

NOSOLOGIAE METHODICAE

R U D I M E N T A

A U C T O R E


DOMINICO CYRILLO

PHILOSOPHIAE, ET MEDICINAE  
PROFESSORE.




N E A P O L I

M. DCC. LXXX.





( III )



## MEDICINAE STUDIOSIS

DOMINICUS CYRILLUS

S.

**M**orborum definitiones ordine systematico dispositas praesens libellus complectitur . Cullenii methodum brevissimasque descriptiones sequuti sumus , novas enim classes , novam distributionem , ac denique nova aegritudinum nomina excogitare , supervacaneum videbatur . Simplicibus tamen nudisque definitionibus , omnia quae peculiarem morbum aut clarius declarare , aut melius designare poterant , symptomata , signa sive accidentia , uti in aegrotantium observatione nobis se se obtulerunt , adjunximus . Omnia sane quae ad dignosim pertinent , cum veterum observationibus apprime conveniunt .

2 2

Nos



*Nos vero potius naturae quam auctoritati inhaerentes, omni spoliata ornata veritate, vobis objiciendam esse existimavimus. Multorum itaque annorum labores circa morborum diagnosim, in hisce nosologiae rudimentis continentur. Descriptiones, quantum fieri potuit, breves accuratasque reddere conati sumus. Externum in morbis habitum, mutationesque praeternaturales, quae in actionibus omnibus eveniunt exposuimus, ac secretionum naturam, variamque in singulis aegritudinum temporibus indolem declaravimus. De pulsum differentiis quoque per summa capita disputavimus; haec vero doctrina in novo peculiarique commentario propediem illustrabitur. Nihil de utilitate definitionum medicarum adjiciam, medici enim sapientiores semper de diagnosi magis solliciti fuerunt; inde enim facile praesagia, & curato-  
 riae indicationes eruuntur. Atque ab eodem profecto principio pendet maxima Hippocraticae doctrinae praestantia; nulla enim  
 alia*

*alia ratione summi in arte viri inclaruerunt , nisi perfecta intelligentia sive diagnosi morborum . Vobis itaque in hac fundamentali medicinae parte serio enitendum est , ne unquam sentiatís cum uberrima Proletariorum medicorum turba , qui paucorum medicamentorum specificam efficaciam jactitantes , quocumque morbi tempore , omnibus signis diagnosticis posthabitis , curationem primo noxiam , dein tempore coctionis aptissimam , in principiis , inopportune suscipiunt . Omnium rursus malorum causam , in acutis ac diuturnis affectibus febrem esse existimant , essentialem semper , ab ignotis moleculis , venenae sui generis ortam , ac periodice ingruentem ; hanc igitur febrem aut cortice Peruviano , aut extracto Chamaemeli ( ipsi salem essentialem appellant ) , aut ligno Quassia curare moliuntur . Neque absentia celeritatis , ac frequentiae in magnis saepe morbis , ridiculae huic opinioni abigendae satis est , quandoquidem in hisce casibus ad febrem occultam*

*neminique cognitam confugiunt . Pleuritides hinc , Peripneumoniae , Apoplexiae , Variola , Angina , Hydrops , Haemoptysis , Hepatitis , omnesque morbi , cum organi alicujus peculiari vitio , juxta hanc sententiam haberi debent , pro accidentibus , sive symptomatis totidem febrium . Haec vero adeo absurda doctrina , simplici observatione , ac natura morborum vel superficialiter considerata , facile evertitur . Omnes etenim febres a causa aliqua , aut internis sedibus haerente , aut cuti infesta pendent , neque unquam praeternaturalis haec in circulatione sanguinis celeritas , quae febris appellatur exurgit , nisi validissima natura propriis viribus , adversus causam morbosam pugnare valet . Ubi enim inflammatur sedes quaedam organica , aut tenax lymphæ aliquo in loco haerens , peculiarem corporis actionem perturbat , calore sanguinis adaucto impetuque circulationis crescente , multa facilius superantur obstacula , aut saltem certa quaedam in humoribus corruptio*

*generatur, quae coctionem, id est suppurationem, morbique solutionem affert. In maximis contra, & insuperabilibus affectibus, aut in morbis qui jugiter adaucta noxa tandem lethales fiunt, aut nulla ab initio febris accenditur, aut quae ante a aestuosa erat, penitus evanescit. Variis exemplis proposita modo doctrina illustratur, penitusque confirmatur -- Etenim in morbis pectoris inflammatoriis cum vehementissima febre, arteriarumque vehementia & duritie, si nulla in diebus criticis apparente coctione, aut salutari evacuatione, aeger ad interitum ruit, tunc pulsuum celeritas ac frequentia cessat, languidi interhique fiunt arteriarum ictus, & mors instat. Idem accidit in omnibus internis externisque gangraenis, in quibus dum ob febris absentiam medicorum animus elevatur, aegri inexpectato intereunt. In vehementi sanguinea, aut serosa apoplexia, nulla apparente febre, post paucas tamen horas homo extinguitur. Multi itaque sunt*

*morbi qui aut sine febre lethales esse consueverunt ab initio , aut evanescente omni motu febrili, mortales evadunt . Febris vero juxta varium propriae intensitatis gradum , & juxta diversam pulsationum indolem , vim morbificae causae , cujus dissipationem natura molitur, designat , virium naturalium momentum, & humorum ac partium solidarum, organorumque statum declarat . Vehementissimae enim febres , cum pulsu valido aequali , potius duro, ac tolerabili simul capitis dolore , causam in phlogisti quantitate aucta , & humorum aestu collocandam esse ostendunt . Si pulsus in carpo dextro deprimatur ac irritatur, stomachus laborat , si pars anterior sinistrae arteriae interna fit , de hepatis aut cordis essentiali affectu certissimi sumus . Parum hinc interest num memorati pulsuum characteres cum febrili motu jungantur . Verumtamen non in febre , sed in partis alicujus peculiari vitio morbus versatur . Ad universalem ve-*



ro quam nostri animadvertunt in omnibus morbis periodicam exacerbationem, quod attinet, adnotandum quod aegritudines fere omnes horis pomeridianis modo magis, modo minus, majorem vim ostendunt, & saepe febres tunc praesertim insurgunt. In acutis fortasse hoc accidit ob majorem aeris densitatem ac frigiditatem. In chronicis incipiente ciborum ~~digestione~~ febricula nascitur, quia calor corporis naturaliter ad-auctus, subactionis tempore cum acerrima causa morbi conjunctus febrem, a veteribus adnotationem incompressam dictam inducit. Hujusmodi tamen periodica exacerbatio, efficacissimis quamvis febrifugis medicamentis nunquam interrumpitur. Ordinem vero operationum naturalium qui sequuntur in curatione morborum, nunquam de febre primario solliciti, adversus causam, naturae vires impellere nituntur, nam evacuatibus primarum viarum impuritatibus, repurgato pulmone, reserata cute, atque fluen-

te

*re alvo, quaecumque febres debellantur. Quod si post assuetas repurgationes, attamen viget febris, tunc videndum quo in organo vitium primum abscondatur. Neque adeo arduum aut difficile erit accurato observatori, veram morbi sedem ac causam detegere. Nunquam enim corpus essentialis alicujus actionis perturbatione laborat, aut longa febre noxatur, nisi aliqua adsit materialis congestio, obstructio, aut alteratio, quae signis, perfectaue instituta diagnosi semper detegitur. Spretis itaque imperitorum commentis, laboriosa nobis veri via suscipienda, ac totis viribus subeunda; aegrotantium assiduae observationes, cadaverum numerosae accurataeque perlustrationes, symptomatum indefessa inter se, & in vario morborum tempore comparatio, veram vobis medicinae intelligentiam comparabit.*

*Perfecta signorum scientia, indicationi curatoriae recte assequendae viam sternit. Nulla enim aut penitus noxia erit*

*me-*

*medicamentorum administratio, si indoles morbi, ac omnium aegritudinum origo ignoratur. Ac primo inquirendum, num pharmaco aliquo opus sit, an potius naturae medicatrici, negotium committere oporteat. In acutis certe & in principiis, & in vigore, omni medicamento abstinendum, incipiente enim graviore aliquo affectu, corrugatio insignis solidorum, ~~vasorum~~ ~~absorbentium~~ magna angustia, multarum actionum integra fere cessatio, nullam certe medicinam admittunt. Hinc saepe videmus antifebrilia primis diebus aut felicem vomitum, aut suspectam molestamque hypochondriorum elevationem progignere. Emeticum quoque nisi exhibeatur in paroxysmi deservescencia, atque simul adstringenti Ipecacoanhae pulvere componatur, praecordiorum molestissimam angustiam aut cardialgiam excitare solet. Immo in ipsa paroxysmi remissione, laxato magna ex parte corpore, prudentis medici est, potius Tartarum emeticum, una cum uberrima diluen-*

luentis alicujus potionis ingurgitatione, propinare . In morbi rursus vigore heroica medicamenta duplici ratione periculosa sunt, primo quia substantiis constant aromaticis stimulantibus , & quae efficacioris digestionis activitate indigent , ideoque ab imbecillo , aut vitiosis humoribus referto ventriculo, dissolvi non possunt; secundo quia vires naturales , quae adversus morbi causam uniformem actionem exercent , a proprio officio integre deturbantur . Etenim dum homo vehementioris aestus febrilis tempore , cortice Peruviano tractatur , secretiones omnes quae a valido motu febrili versus naturalem resolutionem feruntur , rursus novo motu impeditae , morbi judicationem difficilimam reddunt . Hujusmodi observationes raro a prudenti medico sunt rejiciendae , ac semper naturales mutationes pacato animo expectari , nec unquam medicamentis urgeri , atque accelerari inopportune debent . Nonnulli tamen occurrunt morbi , revera maligni , in qui-

quibus symptomatum tarditatem, causaeque in organo haerentis tenacissimam indolem, artis opera atque calidorum, & alterantium medicamentorum activitate inflammare, atque in motum cedere oportet; etenim torpens tunc natura, stimulantibus efficaciter adjuvatur. *Exempla luculentissima petuntur a febribus malignis, malignis variolis, atque omnibus fere cutaneis affectibus* —

*Diuturnorum morborum curationes modo calidis & aromaticis praesidiis instituendae, modo mitissimis auxiliis sunt perficiendae. Nam si tenaciori lymphae in organo aliquo, aut in magnis cavitatibus praeternaturaliter collectae, originem debet morbus, uti videmus in hydrope, cachexia & similibus, tunc deveniendum ad substantias illas, quae motum naturali vehementiorem inducunt, & alterantium nomine distinguuntur; ut defectus phlogisti, ejusdem principii accessione possit emendari. Ob hanc igitur rationem in cachexia, chlorosi, & hydrope*  
uti-

*utillimae sunt praeparationes chalybeatae ,  
 quae phlogisto abundant . Atque in hoc ca-  
 su , artis industria , naturae ipsius operatio-  
 nes , quantum fieri potest , sunt aemulandae .  
 Natura siquidem , dum chronici frigidique  
 affectus dissipationem , absque medicamento-  
 rum adjumento molitur , validum motum , ve-  
 hementissimasque excitat febres ; nequit e-  
 nim tenacitas absque immoderato motu dissi-  
 pari . Nullo itaque modo chronici affectus  
 curari possunt dum in statu inertiae versan-  
 tur , ac nisi primo aut naturaliter , aut ar-  
 tificialiter in acutos vertantur . Constanter a  
 mercurialium administratione , fugata tardi-  
 tate causae venereae , pulsus antea tardi e-  
 levantur , intenduntur , fiuntque frequen-  
 tiores . Saepissimeque etiam miratus sum  
 vehementissimas febres ab usu interno subli-  
 mati corrosivi , cum aliquo inflammationis  
 periculo ortas , tandem acuto morbo op-  
 portuno tempore judicato , omnia luis ac-  
 cidentia evanuisse . Aquarum acidularum  
 ube-*

uberior usus in magnis viscerum naturalium confirmatis obstructionibus, nunquam beneficam activitatem suam ostendit, nisi antea vehemens in corpore oritur perturbatio, cum qua etiam salutaris paucorum dierum febricula conjungitur. Haec contra indicationis praecipua regula, in morbis pectoris diuturnis omnino diversa est, etenim quo magis symptomata intenduntur, eo majori in periculo aeger versatur. In phthisi enim Pulmonali, dum post sanguinis sputum, lympham tenacissimam in pulmonibus congeritur, raro aut febris, aut naturalis caloris adaucti signa occurrunt; verum ingravescente morbo, ob naturam organi lympham acrior, ac valde stimulans facta, tussi pertinacissimae, calori vehementissimo, & febriculae hecticae, quae inflammatoriae accidentibus semper distinguitur, occasionem praebet. Tunc igitur medicus alia incedendum esse palliativa, non eradicativa indicatione videbit, & semper ad mitissima, antiphlogistica, & sedativa medi-

ca-

*camenta deveniet . Quae modo adnotavimus ,  
fortasse multis obvia , & trivialia videbun-  
tur , ego vero cum tyronibus , non cum con-  
summatis in arte viris agere constitui .  
Alia majoris momenti , opportunitiori tempo-  
re lucem videbunt ; nunc satis erit vobis di-  
ligentissimis adolescentibus , spinosissimam me-  
dicæ artis provinciam , laboribus nostris pla-  
norem facilioremque reddidisse .*



---

 INDEX RERUM.
 

---

<b>P</b> RAEFATIO . . .	Pag.III., ad XVI.
INTRODUCTIO, in qua agitur de definitione morbi in genere .	1. ad 4.
SAUVAGESII METHODUS .	5. 10.
LINNAEI SYSTEMA .	11. 12.
VOGELII SYSTEMA .	12. 13.
CULLENII SYSTEMA .	13. ad finem usque .
CLASSIS I. PYREXIAE . .	
ORDO I. FEBRES .	14.
SECT. I. Intermittentes .	15.
Tertiana & Quartana .	15. 16.
17.	
Quotidiana .	ibid.
SECT. II. Continuae .	17. 18.
Synocha .	ibid.
Typhus .	19. 20.
Synochus .	20. 21.
Febris hectica .	21. 22.
ORDO II. PHLEGMASIAE .	23.
Phlegmone .	23. 24. 25.
Ophthalmia .	25. 26.
Phrenitis .	26.
Cynanche .	26. 27.
Peripneumonia .	27. 28.
Pleuritis .	28. 29. 30.
Vomica & Empyema .	30.
Carditis .	30.
Peritonitis .	30. 31.
Gastritis .	31. 32.
	En-

	Enteritis . . . . .		ibid.
	Hepatitis . . . . .	32.	33. 34.
	Splenitis . . . . .		ibid.
	Nephritis . . . . .		34. 35.
	Cystitis & Hyfteritis . . . . .	35.	36. 37.
	Rheumatismus . . . . .		37. 38.
	Arthritis . . . . .		ibid.
<b>ORDO III.</b>	<b>EXANTHEMATA . . . . .</b>		
	Eryfipelas . . . . .		39. 40.
	Peftis . . . . .		ibid.
	Variola . . . . .	40. 41. 42. 43.	
	Infitionis breviffima hiftoria . . . . .		43.
		44. 45.	
	Varicella . . . . .		ibid.
	Rubeola . . . . .		46.
	Miliaria . . . . .	46.	47.
	Scarlatina . . . . .		ibid.
	Urticaria . . . . .		ibid.
	Pemphigus . . . . .		ibid.
	Aphtha . . . . .	47.	48.
<b>ORDO IV.</b>	<b>HAEMORRHAGIAE . . . . .</b>		48.
		49.	
	Epiftaxis . . . . .	49.	50. 51.
	Haemoptysis . . . . .		51. 52.
	Haemorrhois . . . . .		53.
	Menorrhagia . . . . .	54.	55.
	Leucorrhaea . . . . .	55.	56.
<b>ORDO V.</b>	<b>PROFLUVIA . . . . .</b>		ibid.
	Catarrhus . . . . .	56.	57.
	Dyfteria . . . . .		58.
<b>CLASSIS II.</b>	<b>NEUROSES . . . . .</b>		ibid.
<b>ORDO I.</b>	<b>COMATA . . . . .</b>		ibid.
	Apoplexia . . . . .		59.
	Paralyfis . . . . .	59.	60.
	Catalepfis . . . . .	60.	61.
<b>ORDO II.</b>	<b>ADYNAMIAE . . . . .</b>		ibid.
			Syn-

R E R U M.

xix.

	Syncope .	61. 62.
	Dyspepsia .	62. 63. 64.
	Hypocondriasis .	ibid.
	Chlorosis .	65.
ORDO III. SPASMI .		66.
	Tetanus .	ibid.
	Convulsio .	67.
	Epilepsia .	67. 68.
	Palpitatio .	68. 69.
	Asthma .	69. 70.
	Pertussis .	ibid.
	Pyrosis .	71.
	Colica .	71. 72.
	Cholera .	ibid.
	Diarrhaea .	73.
	Diabetes .	74.
	Hysteria .	ibid.
	Hydrophobia .	75.
ORDO IV. VESANIAE .		ibid.
	Amentia .	76.
	Melancholia .	ibid.
	Mania .	77.
	Somnium .	77. 78.
CLASSIS III. CACHEXIAE .		ibid.
ORDO I. MARCORES .		ibid.
	Tabes .	ibid.
	Atrophia .	ibid.
ORDO II. INTUMESCENTIAE .		79.
	Polyfarcia .	ibid.
	Pneumatosis .	ibid.
	Tympanites .	80.
	Phylometra .	ibid.
	Anasarca .	81. 82. 83.
	Hydrocephalus .	83. 84.
	Hydrorachitis .	ibid.
	Hydrothorax .	ibid.
		b 2
		Afci-

Afcites,	85.
Hydrometra .	86.
Hydrocele .	ibid.
Physconia .	87.
Rachitis .	ibid.
<b>ORDO III. IMPETIGINES .</b>	ibid.
Scrophula .	88.
Syphilis .	88. 89. 90.
Scorbutus .	90. 91.
Elephantiasis .	ibid.
Lepa .	ibid.
Frambaesia .	ibid.
Tricoma .	ibid.
Icterus .	92.
<b>CLASSIS IV. LOCALES .</b>	ibid.
<b>ORDO I. DYSAESTHESIAE .</b>	93.
Caligo .	ibid.
<i>Cataracta, Amaurosis, Mydriasis,</i>	
<i>Glaucoma .</i>	93. 94.
Amblyopia .	94. 95.
<i>Suffusio, Phantasma, Presby-</i>	
<i>tia, Myopia, Dyplopia .</i>	
Dysecoea .	95. 96.
Paracusis .	ibid.
<i>Obauditio, Syrigmos .</i>	
Anosmia .	ibid.
Agheusia .	97.
Anaesthesia .	97. 98.
Anaphrodisia .	ibid.
<b>ORDO II. DYSCINESIAE .</b>	ibid.
Aphonia .	ibid.
Mutitas .	99.
Paraphonia .	ibid.
Pfellismus .	ibid.
Strabismus .	ibid.
Contractura .	100.
	<b>OR-</b>

R E R U M. xxi

ORDO III. APOCENOSES .		ibid.
Profusio		100.
Epiphora .		ibid.
Ptyalismus .		101.
Enurefis .		ibid.
Gonorrhæa .	101.	102.
ORDO IV. EPISCHESES .		ibid.
Obstipatio .	102.	103.
Ischuria .	103.	104.
Amenorrhæa .	104.	105.
ORDO V. TUMORES .		ibid.
Aneurysma .	106. 107. 108. 109.	
110.		
Varix .	110.	111.
Ecchymoma .	111.	112.
Scirrhus .	112.	113.
Bubo .	114.	115. 116.
Sarcoma .		ibid.
Verruca .		ibid.
Clavus .	116.	117.
Lupia .		ibid.
Ganglion .		ibid.
Hydatis .	117.	118.
Hydarthrus .		ibid.
ORDO VI. ECTOPIAE .		119.
Hernia .	119.	120. 121.
Prolapsus .		ibid.
Luxatio .		122.
ORDO VII. DIALYSES .		123.
Vulnus .	123.	124.
Ulcus .		ibid.
Herpes .	124.	125.
Tinea .		ibid.
Pfora .		ibid.
Fractura .		126.
Caries .		ibid.

F I N I S.

## ERRATA.

## CORRIGE.

Fig. 7	exanthematicis	exanthematicis
11	1760.	1763.
21	acutissimae	acutissime
22	videntur .	videtur .
37	intermittentis	intermittentes
42	diarhaea	diarhaea
50	mitionem	mitiorem
51	dyspnaea	dyspnaea
56	vomitoris	vomendi
69	exturbatus	exturbatum
73	, alvi fluxus	. Alvi fluxus
79	efformatantur	efformantur
95	adnotatur	adnotantur
102	affiduemque	affiduumque
118	siphylide	sypilide









## NOSOLOGIAE METHODICAE

### R U D I M E N T A .

**D**octrinas omnes, quae generalem Pathologiae intelligentiam respiciunt, in superioribus, qua fieri potuit perspicuitate explicavimus; oportet modo ut breviter de morborum differentiis, sive de peculiarium affectionum caractere essentiali, atque de praecipuis varietatibus, differamus. Hanc Institutionum medicarum particulam, recentiores graeco adhibito vocabulo, modo Nosologiam simpliciter, modo ab ordine peculiari in distributione morborum, Nosologiam methodicam nuncuparunt. Viri primum in Re herbaria peritissimi methodum nosologicam excogitarunt, ut similibus corporis humani affectibus in unum collectis, quasi per gradus, a classibus ad genera, a generibus ad species, ac demum ad varietates morborum dignoscendas tyrones pervenirent. Arduam hanc provinciam susceperunt, atque ad maximum perfectionis fastigium perduxerunt Sauvagesius, Linnaeus, Vogelius, atque inter reliquos peritissimus Gul. Cullenius. Quae Cl. viri memoriae prodiderunt, vestrae eruditioni valde necessaria esse videntur. Hinc nos definitiones morborum ab aliis propositas, nostrisque simul observationibus ulterius explanatas, hoc scholastico curriculo, vobis communicare constituimus, haudquaquam de rei novitate, sed potius de argumenti utilitate solliciti.

A

Mor-



Morbi etenim elegans, atque apprime naturae consentanea definitio, affectionis cuiuscumque diagnosticam, utiliore nempe, magisque proficuum artis nostrae partem complectitur. Siquidem signa simul, & accidentia, quae in singulis infirmitatibus adesse solent, brevissimis descriptionibus includuntur. Nequeunt profecto copiosissimae segetis fruges, angustissimo coerceri paucarum paginarum circulo; verum aliquam sane huiusmodi labores laudem merentur, quandoquidem nobis Hippocraticorum dogmatum, omnisque vetustioris scholae solidam, atque a natura ipsa, assiduis observatoribus monstratam doctrinam, declarant. Si hinc postremus labor, indomitum nempe observandi studium, nocturna diurnaque, simulque diligens aegrotantium consideratio accedat, inter sapientissimos artis magistros unusquisque poterit collocari.

In ipso tamen Nosologiae limine, in memoriam revocanda est generalis morbi definitio, in superioribus memorata. Recedens itaque a recto actionum exercitio corporis status, unde dolores, molestiae, ac variae oriuntur aegritudines, generali appellatione a Latinis Morbus, a Graecis vero Νῆσος, νόσος, & νόσημα appellatur. Multipliciter tamen definitiones morbi, a veteribus, & recentioribus traduntur; nam Hippocrates morbum ait esse, *quidquid corpori molestiam affert*. Galenus, & quidem apposite, ait *morbum esse statum praeter naturam, a quo actio primum laeditur*. In morbo rursus adesse non solum generalem corruptionem, sed constantem quoque dolorem veteres existimabant; quod quidem a veritate omnino alienum esse videtur; dantur enim morbi gravissimi, in quibus nulla deprehenditur, aut ab aegrotantibus animadvertitur doloris sensatio, quemadmodum in febribus malignis, Peripneumonia, Phthisi

Phthifi pulmonali aliisque. Generalis vero corruptio non causa morbi, diversorumque accidentium origo est, sed a pertinaci indomabilique morbo, corruptio illa humorum adeo lethalis, exurgit. Medici vero universalem corruptionem morbi fundamentum constituere arbitrati sunt, quia gravissimas corporis laesiones copiosissimis putridarum substantiarum evacuationibus absolvi, perfecteque judicari observarunt. Hujusmodi tamen apparentes corruptiones a validissimo circulationis impetu, viriumque naturalium actione gignuntur, ut scilicet maximo oborto calore, sani humores a noxiis separentur. Si vero causa integrae fluidorum massae commixta, accedente febris aestu, per totum corpus aequabiliter diffunditur, non dolores proprie acutos acerrimosque, sed potius molestiam atque perturbationem excitabit. Et sane morbi magis periculosi non dolore, sed potius labore ac fastidio corpus afficiunt; contra vero minoris momenti affectiones, maximo doloris sensu comitantur, quemadmodum sunt morbi Rheumatici, qui sedibus tantum externis inhaerent. Rursum si res subtilius consideratur, apparebit essentiam, sive definitionem generalem morbi, raro in dolore esse collocandam; etenim saepissime incipientibus morbis dolores & labores observantur, & tunc minus periculose aegrotantes afficiuntur; sed procedente morbo dissipatisque doloribus, omnia in deterius vergunt. Internae suppurationes, quae uti reliquae omnes, dum fiunt, fere semper cum dolore aliquo acuto, febre vehementi, magnisque universarum actionum molestis perturbationibus eveniunt; post coctionem, & jam confecto pure nullo dolore comitantur, & tamen mors saepe in propinquo adest. Dummodo pulmonibus crassior haeret lymphæ, quae ob peculiarem organi naturam, sive temperiem, periculo-

culosam molitur Peripneumoniam, si dolor simul pleuriticus exurgit, nunquam lethalis illa inflammatio statim pertimescenda est. Sed evanescente dolore laterali, plerumque insuperabili morbo, a quo ipsa pulmonum substantia integre corrumpitur, aegri intereunt. Hujus observationis veritatem in duplici Pleuritica constitutione, primum anno 1777, deinde anno 1779 confirmavimus. Hepatitides suppuratoriae, primis diebus cum magno dextri hypochondrii dolore conjunguntur; sed desperatis progressu temporis aegri rebus, dolores omnino dissipantur. Idem accidit in omnibus morbis in quibus ab inflammatione, & dolore acutissimo vexatae partes, dum necrosi corrumpuntur, dolorifico acutaeque molestiae sensu penitus privantur. Multa hoc in loco argumenta adhibuimus ad rem satis claram enucleandam; verum animadversiones, quae utilissimas vobisque necessarias doctrinas complectuntur, nunquam praetermittendas esse duximus. Omnibus itaque recte ad examen revocatis, morbus cum Galeno appellari debet *status ille praeter naturam, a quo actio primum laeditur*. Haec enim definitio morbi essentiam ac fundamentum respicit, siquidem non de causis, atque de rebus extrinsecis loquitur, sed absolutam rei ipsius generalemque naturam ostendit.

A morbi definitione, ad methodos Nosologicas breviter, & chronologico ordine exponendas, progrediendum est.



SAU-

## SAUVAGESII METHODUS.

**C**L. itaque Sauvagesius, Monspeliensis medicus, anno 1765 Nosologiam methodicam conscripsit, morborumque genera & species, non solum juxta scriptorum historias & auctoritatem, sed etiam secundum proprias observationes tradidit. Multa ad generales theorias pertinentia, ac saniori doctrina referta, in tanto opere reperiuntur: Systematis classes sunt decem: 1. complectitur Vitia. 2. Febres. 3. Phlegmasias. 4. Spasmos. 5. Anhelationes. 6. Debilitates. 7. Dolores. 8. Vesanas. 9. Fluxus, & 10. Cachexias. Simplici huic classium enumerationi, adiu-ciendi sunt characteres generales singularum classium.

## C L A S S I S I.

Classis I. Complectitur Vitia, nempe morbos cutaneos *superficiarios*, ut auctor loquitur, & affectiones chirurgicas, quae scilicet, manu curari debent.

## C H A R A C T E R C L A S S I C U S .

*Symptomata cutanea levidentia, vel mechanicis chirurgiae auxiliis curanda.* Haec vero classis complectitur non tantum vitia, sive incommoda, quae ab externa causa, partibus in corporis superficie positae accidunt; sed etiam morbos omnes, qui ab interiori aliqua labe geniti, relictis profundioribus sedibus, plerumque critice, saepissime quoque symptomatice, foras egrediuntur; & cutim maculis diversae coloris, pustulis acrioribus, crustis, tumoribus,

mortificatione, aliisque infirmitatibus, infestare consueverunt. Rursum inter morbos ejusdem classis, recensentur vitia ossibus accidentaliter supervenientia, uti sunt fracturae & luxationes; quamvis ossa non in superficie collocentur, sed musculis undique, aliisque mollibus partibus plerumque involvantur.

### C L A S S I S II.

Secunda classis respicit Febres, quae ita ab auctore distinguuntur, *Pulsus magnitudo & frequentia; cum frigore in insultu, fervore in decursu, maiore in declinatione, & semper virium prostratione, majore quam a virium vitalium gradu, foret expectandum.* Classicae definitioni adnectuntur characteres ordinum, sive sectionum, quae febres complectuntur Continuas, Remittentes, & Intermittentes. Atque in hujusce classis constitutione, summa Cl. viri doctrina adnotari meretur, quandoquidem febris titulo, non solum insignem circulationis adauctae gradum, primario intelligi debere, sed virium etiam, scilicet aliarum quoque actionum, statum considerandum esse existimavit. Nos enim etsi febrem adesse pronunciamus, dum frequentiam & celeritatem in pulsu maximam animadvertimus; attamen non semper periculi magnitudinem, morbique intensitatem, ab incremento motus circulatorii metimur; nam innumeri fere sunt morbi lethales, in quibus febris proprie dicta desideratur. Verum ex pulsu signa internae alicujus periculosissimae affectionis eruuntur: atque quo magis vita imbecillior evadit, febris accidentia imminuuntur, siquidem adaucto morbo, symptomata in Sauvagesii definitione adnotata, mitescunt, attamen novi generis, summeque lethalia signa oriuntur. Hisce in casibus occultam,  
ab-

## METHODICA.

7

absconditamque febrem sibi fingunt imperiti medici, qui febrem omnium morborum essentiam esse contendunt. Sed de febris essentia atque natura, erit alias opportunior differendi locus.

### CLASSIS III.

In tertia classe describuntur Phlegmasiae, morbi scilicet Inflammatorii, qui cum febre acuta continua vel remittente, cum interna inflammatione, aut maculis exanthematicis conjunguntur: hujusmodi sunt affectiones exanthematicae, Pestis, Variola, Miliaris &c. Inflammationes partibus membranaceis supervenientes Phrenesis, Paraphrenesis, Pleuritis, Gastritis &c. Reliquae Inflammationes partibus accidunt Parenchymatosis, visceribus nempe, uti Cerebro, Cordi, Pulmoni, Hepati.

### CLASSIS IV.

Quarta classis declarat morbos spasmodicos, quos gignit *contractio invita, costans vel interpolata, musculorum, organis loco-motivis, non vitalibus inservientium*. Ad hanc pertinent classem morbi tonici partiales, qui nonnullas peculiare sedes organicas afficiunt, tonicique etiam generales. Sequuntur morbi clonici partiales, quorum effectus est agitatio invita & coacta cujusdam organi, vel artus cujus motum non percipimus. Denique tertio loco adnotantur morbi clonici generales; uti sunt spasmi, vel totius corporis, vel ad plures partes extensi.

### CLASSIS V.

Quinta classis indicat anhelationes, id est varias species difficilis perturbataeque respirationis;

A 4

est

est enim anhelatio, juxta auctoris mentem, *agitatio invita, defatigans, musculorum pectoris, unde respiratio difficilis, frequens, sine febre acuta*. Morbi omnes acuti, qui respirationem afficiunt, raro cum magna pulsuum celeritate, ac frequentia copulantur; nam ut laedatur respiratio, necesse est, ut pulmones nimio crassoque sanguine obruantur, hinc pulsus potius tardi, duri obtusique fiunt, Contrarium accidit in diurno ulcere pulmonis, in quo non solum ob summam maciem, ac debilitatem, verum etiam ob magnam puris copiam, sanguini communicatam, pulsus celerrimi parvique fiunt; phthifici vero de difficili respirazione nunquam profecto conquaeruntur; neque magna anhelatio a diligenti observatore detegitur. *Anhelationes vero plerumque sunt spasmodicae aut oppressivae*.

## C L A S S I S VI.

Distinguantur in sexta classe diversa genera debilitatis; affectio haec generaliter considerata, est; *Impotentia clare, & distincte sentiendi, appetendi, consueta vi artus organave movendi, nec non imaginandi, vigilandi &c.* En quare ubi agitur de nervorum aegritudinibus, pertractatur etiam de perturbatione facultatum cerebri; quia hujusmodi actionum integritas, a sano cerebri nervorumque statu omnino pendet.

## C L A S S I S VII.

Septimo loco enumerantur morbi dolorem afferentes; nullam vero, auctor, doloris definitionem affert; ait enim *Dolores cujusvis experientia cognoscendi, nulla definitione, distincte explicabiles sunt*. Semper vero in doloribus molestam agnoscimus  
sen-



fenfationem, quae faepiffime continui folutionem mo-  
 liri videtur; nos autem dum dolore aliquo acuto cor-  
 ripimur, de partis alicujus vulnere aut ulcere quon-  
 dam affectae dolore, recordamur. Animadvertendum  
 deinde, quod dolores, non eandem femper, ejus-  
 demque naturae moleftiam excitare foleant; nam  
 differunt inter fe dolores, non folum ob diverfi-  
 tatem caufae a qua producantur, ob variam ftru-  
 cturam ac fenfilitatem partis cui inhaerent; verum  
 frequenter juxta varium mentis ftatum, ab aegrotan-  
 tibus magis aut minus percipiuntur; quacun-  
 que enim ratione cerebri funktiones laeduntur, qui tunc super-  
 veniunt dolores, parum vel nihil animadvertuntur;  
 uti aptiffime fcripfit Hipp.; *Si doloris caufa, in  
 aliqua corporis parte exiftente, aegrotantes dolorem  
 non sentiunt, in his mens aegrotat*. Moderatus  
 calor, ac tolerabile frigus internas externaefque do-  
 loris caufas compescere folent, fiquidem nimiam  
 fenfiliam partium distractionem imminuunt; &  
 acriorum etiam humorum irritationi opponuntur.  
 Rheumatici dolores vespertino frigore ac cutis di-  
 stractione ingravescentes leni calore, ac conciliato  
 majori flexilitatis gradu mitefcunt. Eryfipelate cor-  
 repta, inflammata & dolens pars aliqua, refrige-  
 rantibus, & ipfo aere frigidiusculo fublevatur. In  
 hac claffe recensentur primo dolores vagi, qui ple-  
 rumque corporis fuperficiem infeftant; deinde do-  
 lores capitis. 3. pectoris, 4. dolores abdominales,  
 & 5. denique externi, five artuum dolores.

C L A S S I S VIII.

Complectitur octava claffis Vefanias, five mor-  
 bos a mentis alienatione pendentes: vefania ete-  
 nim eft *error in imaginatione, appetitu, vel judi-  
 cio*. Morbi hujus claffis, interdum fiunt a laefio-  
 ne

ne imaginationis, dum intellectu incolumi, organa tantum externa, vitio aliquo laborant, uti in vertigine, & affectione Hypochondriaca. Interdum sunt Morositates, scilicet cupiditates & aversationes depravatae, quod evenire videmus in qualitate alimentorum solidorum, ac fluidorum. Tertio loquitur de Delirio, in quo mens hallucinatur in judicio. Postremo enumerat vefanias anomalas, nempe Amnesiam, id est, oblivionem morbosam, & Agrypniam, id est, pervigilium continuum.

## C L A S S I S IX.

Nonam constituunt classem Fluxus, sive evacuationes immodicae, simulque morbosae; quae enim in diebus criticis eveniunt, plerumque valde salutares sunt, neque inter morbos recensentur. Fluxus juxta Sauvagesium est; *ejectio fluidorum, aut contentorum, quae quantitate, qualitate, ac desuetudine notabilis est.*

## C L A S S I S X.

Decima classis spectat ad Cachexias, nempe coloris, figurae, molis, in corporis habitu depravationes. Hinc in primo ordine disputat de intumescencia generali, postea de partiali. Enumeratur deinde Tuberositates, sive tumores non hydropicos partium solidarum. Progreditur rursus ad impetigines, Ictericitiae varia genera; ac denique sermonem instituit de cachexiis anomalis, Phthiriasi, nempe morbo pediculari, Plica Polonica, Alopaecia, Necrosi, & similibus. Haec breviter a nobis enarrata, ad Cl. Sauvagesii classes morborum intelligendas conducunt; ordinum vero, generum, & specierum characteres, ex ejus eruditissimo opere desumi poterunt.

LIN-

## LINNAEI SYSTEMA.

**V**ir immortalis, Eques Carolus Linnaeus, de historia naturali tantopere meritus, ut omnibus procul dubio sit antefereendus, morborum genera definire conatus est anno 1760. Nos classium tantummodo ordinem vobis indicare, operae pretium existimavimus. Primo enim loco collocantur morbi febriles, qui sunt Exanthematici, Critici, & Phlogistici. Exanthematici respiciunt affectiones omnes externas cum febre, & dividuntur in contagiosos, sporadicos, & solitarios; contagiosi sunt Pestis, Variola, Rubeola, Petechia, Syphilis. Sporadici sunt, Miliaria, Uredo, Aphtha. Inter solitarios Erysipelas numeratur. Hujus primae classis ordines & Genera enumeravi, ut omnes intelligerent, quanta in hac methodo perspicuitas doctrinae comprehendatur. Secunda classis comprehenditur febrium genera, in quibus integra humorum massa, sine locali affectione, a causa generali exagitur, unde judicatio fit per crises. Morbi denique phlogistici dicuntur illi, in quibus febris cum peculiari inflammatione copulatur. Sequuntur morbi temperati, nervini, sensationis, iudicii, motus, inter quos primario describuntur morbi Dolorosi, Mentales cum iudicii alienatione, Quietales, in quibus motus adest abolitio, & Motorii. En quomodo Cl. auctor, in hisce classibus de nervorum, omnibusque ad irritabilitatis perturbationem spectantibus affectionibus, sermonem instituit. Fluidorum secretiones juxta Linnaei sententiam, alterantur interdum suppressione, interdum nimio fluxu, nimiaque evacuatione. In classe igitur octava & nona loquitur de morbis fluidorum.

In

In postremis classibus, decima scilicet atque undecima, intimam sive internam mutationem, in solidis partibus evenientem persequitur, illamque deformitatem appellat, atque externam irregularitatem, nempe vitium considerat. Quod deinde attinet ad characterum peculiarium descriptionem, omnia magno ingenii acumine, a natura ipsa deprompta fuisse videntur: exemplum sit Syphilis, in qua ex Linnaeo reperiri debent *nodi, ulcuscula, verrucae madidae, molles, denudatae Febris lenta nocturna, dolore ostocopo, marcore, stranguria, angina*. Haec de Linnaeo, nunc ad Vogelii methodum exponendam transeamus.

---

### VOGELII SYSTEMA.

**C**L. Vogelius anno 1764 evulgavit, Definitiones Generum morborum, quorum undecim classes instituit. Pertractat in prima classe de Febris, quas ait esse *Innati caloris augmentum praeternaturale*, cum oris siccitate, & gravitate corporis. In 2. agit de Profluviis, *nempe de humorum evacuationibus, ab ordine, quantitate, aut qualitate naturali aberrantibus*. 3. Classis continet; Epifcheses, *sive excernendorum suppressiones*. 4. Considerat Dolores, qui sunt, *sensationes molestae, corporis & animi tranquillitatem turbantes*. 5. classem componunt Spasmi, scilicet, *solidorum mobilium contractiones, vel agitationes*. In 6. comprehenduntur Adynamiae, *nempe sensationum, motuum, ac naturalium functionum defectus, aut imminutiones*. in 7. describit Hypermaestheses, *sensationes nempe auctas, vel perversas*. 8. spectat ad Cachexiam, *quae est, male colorata corporis*  
con-

*constitutio, cum debilitate*. In 9. comprehenduntur Paranoïae id est, *mentis aberrationes*. In 10. recentur Vitia, *sive mutationes in superficie corporis conspicuae*. Postrema classis complectitur Deformatates, *nempe aberrationes solidorum ab ordine, positura, habitu, figura, numero, aliisque qualitatibus*. Brevissimam tantum Systematis hujusce epitomen exposui, mihi enim non recte Cl. auctorem, morborum naturam, atque essentiam descripsisse videtur. Atque ut reliqua praetermittam, in febris definitione generali, inter signa essentialia, oris siccitatem recensuit, quod quidem saepissime, in ipso etiam exacerbationis initio, frequentissimeque in progressu, sive evolutione desideratur. Rursum intelligi nequit, quomodo Profluvium dicatur, non solum nimia humoris alicuius evacuatio, sed etiam qualitas tantum a naturali recedens. Quare Vogelii methodo posthabita, ad Cullenii doctrinam Nosologicam enucleandam gradum faciamus.

---

## CULLENII SYSTEMA.

**G**Uilielmus Cullen Cl. Edinburgensis Medicus, anno 1769, Genera morborum ordine systematico describere aggressus est; ac magnum sane opus, in quatuor generales classes distinxit. In secunda dein editione specierum quoque essentialia characteres, quos non adhuc vidimus, adjecit.

### CLASSIS I. PYREXIAE.

In prima itaque classe describuntur Pyrexiae, scilicet omnes febres, morbique febriles. Febris  
cha-

character essentialis juxta auctoris mentem est; *Post horrorem pulsus frequens, viribus artuum imminutis*. Horror vero minime observatur in omnium febrium initio; quamvis morbi non pauci febriles, quorum exacerbationes, a simplici caloris incremento incipiunt, in primo tamen paroxysmo ab horrore ortum ducant; & tunc de inflammatione aut suppuratione interna, semper dubitandum. In nostris Regionibus morbi omnes verno tempore grassantes, & qui plerumque a cohibita ob hyberni frigoris intensitatem copiosa cutis perspiratione oriuntur, fere semper in primo paroxysmo longissimum inducunt horrorem, cum magna pulsuum celeritate ac irritatione. Versus finem exacerbationis, aut dolor Pleuriticus, interdum dextro, interdum sinistro thoracis lateri haerens, genuinam Pleuritidem, vel Peripneumoniam indicat; aut Hypochondrii dextri elevatio molesta, Hepatitidem morbum essentialem constituere declarat. Nunquam vero post primum paroxysmum febris cum horrore exacerbatur.

#### ORDO I. FEBRES.

Primus ordo hujus classis continet febres proprie dictas, nempe essentielles, in quibus, *Praegressis languore, lassitudine, & aliis debilitatis signis, pyrexia exurgit, sine morbo locali primario.*



SE-

## S E C T I O I.

## INTERMITTENTES.

*Febres, paroxysmis pluribus, apyrexia, saltem remissione evidenti interposita, cum exacerbatione notabili, & plerumque cum horrore redeuntibus constantes.*

## TERTIANA ET QUARTANA.

**I**N *Tertiana sunt paroxysmi similes, intervallo 48. circiter horarum.* In quartana fiunt Paroxysmi similes, *intervallo 72. circiter horarum.* Ad Tertianam pertinent Duplicana, Tertiana duplex, Hemitritaea Linnaei, Semitertiana Hof. Febris paludum, Febris castrensis D. Pringle &c. Semitertianam inter reliquos eleganter, ad naturam more suo, describit Galenus *Lib. 2. c. 2. & c. 7. ac 8. de differentiis febrium, variasque species distinguit.* Nos genuinam semitertianam, ac peculiaribus signis diagnosticis comitatam, quam in nostro observavimus Nosocomio, breviter describere conabimur. Miles annorum 20. phlegmatico corporis habitu praeditus, aestate anni 1778. dum Neapolim repeteret, paludosi aeris in agro Romano noxia effluvia expertus, in febrem acutam incidit, atque in Nosocomio D. Jacobi per sex dies decumbens, apparenter curabatur. Brevi, recidiva vexatus ad nos ducebatur. Color, viridi-obscurus splenis obstructionem indicabat. Pulsus erant inferiores, sinister media in parte latus, undosus, & cum inaequalitate saepe durus: dexter parvus, inaequalis durus; alui fluxus saepe observabatur, frequen-

quenterque aderat nasalis haemorrhagia . Magna sinistri hypocondrii in splenis regione resistantia . Febris erat una die tertianae , sequenti quotidianae similis . Primus enim paroxysmus ingruerat cum sensibili horrore , peculiari pulsuum irritatione , in principio , & evolutione , & undosa inaequalitate versus finem . Copiosissimo denique sudore paroxysmus absolvebatur . Remittente paroxysmo Tertianario , quotidiana febris exacerbabatur , sine horrore , & absque magna pulsuum irregularitate , neque sudor accedebat in remissione . Emeticis , balneis , & constanti aquae marinae usu interno , uberiori ac valde sedimentosa urina superveniente , perfectae valetudini restitutus , Nosocomium reliquit .

Tertianae , adnumerandae sunt etiam Erratica , Errana , Quintana , Sextana ; Nam qui intermittentibus afficiuntur , non raro paroxysmo carent per plures dies , ac deinde eadem febre rursus corripiuntur . Hinc tot varietates febrium a medicis excogitatae . In intermittentibus praeter Cullenii characteres , deprehenditur pulsus in principio exacerbationis parvus , durus , irritatus , deinde in statu evolutus , magnus , vehemens , inaequalis ; atque in declinatione mollior , undosus ; multis enim constat ictibus mediocriter elevatis , inter se aequalibus , qui unico excipiuntur vehementissimo , satis amplo ictu , ac molliusculo , quo sudor praenunciatur . Observandum quoque diligenter , quod in huiusmodi febribus tempore apyrexiae , multis ante novam exacerbationem horis , pulsus intenditur , contrahuntur arteriae , ob irritationem durefcunt , priusquam reliqua paroxysmi accidentia ab ipso aegroto animadvertantur . Hinc si haec mutatio in diebus febrili dicatis deest , aeger omni exacerbatione febrili , vacabit . Intermittentes linguam semper ostendunt albo densoque glutine obductam . Oris amaro-



rorem viscositatemque aegri persentiunt. Pulsus dexter tempore apyrexiae, ob stomachi languorem, atque hepatis obstructionem parvus, inaequalis, inferior, tardus, rarusque est; sinister elevatur in media parte, & utrinque deprimitur: major elevatio a splenis tumore sive obstructione pendet.

QUOTIDIANA.

Quotidiana in eadem sectione describitur; est enim febris, in qua paroxyfmi similes, intervallo viginti quatuor horarum accidunt; post perfectam enim intermissionem, elapsis aliquot horis, novus exurgit paroxyfmus. Hujus generis febrem admodum lethalem, in nostris regionibus frequenter observamus, ob corrupti caenosi que aeris aestivo tempore noxiam actionem. Paroxyfmus ingruit cum longo horrore, cum maxima sensuum hebetudine & lethargo. In febris declinatione, symptomata haec evanescent; sed rursus post paucas horas apparent; ac nisi statim intermittens a periculosa haec febris, uberiori corticis Peruvianu usu, debellatur, in continuam, & proprie in Typhum transit.

CONTINUAE.

Sequuntur febres continuae proprie dictae, quae, continuae Continentes, a reliquis auctoribus nuncupantur; continuae vero, in genere sunt febres sine intermissione, simulque sine remissione, vel exacerbatione notabili persistentes. Hujus naturae sunt Synocha, Typhus, & Synochus. Omnes intermittentes febres, quarum causa in dies aucta, corruptionem majorem in humoribus inducit, continuae evadunt; nequeunt enim languentes naturae

B

vi-

vires causae vehementissimae diutius advesari . Contra vero in hominibus validiori, firmissimoque corporis habitu praeditis, opportuniori anni tempestate, recta curationis methodo adhibita, febres continuae & malignae, in febres intermittentes mutantur, quod quidem inter boni ominis symptomata, habendum est,

S Y N O C H A .

*In synocha observatur calor plurimum auctus, pulsus frequens, validus & durus, urina rubra; sensorii junctioes parum turbatae. Huius generis est febris Ephemera, & Diaria, quae scilicet unius diei spatio perfecte judicatur, Plerumque fit a cohibita insensibili perspiratione, atque morbi externi accidentia admodum benigna affert; pulsus enim durities, & validitas, cum magna celeritate & frequentia conjuncta, causam morbosam ad exteriora tendentem denotat. En quare sudore accedente morbus solvitur, ac frequentissime circa labia parvae efflorescunt, brevi evanescentes pustulae, aut molestis attamen benignis aphthis os infestatur. In pueris haec febris species frequentissima est, quandoquidem causae morbosae facilius tenera, ac admodum irritabilia corpora perturbare valent, atque rursus corporum mollitudo, omniumque secretionum promptitudo, praedictarum causarum judicationem celerius absolvunt. Galenus lib. 1. cap. 8. de differentiis februm, multa circa naturam ac diagnosim febris diariae tradidit: ait enim hoc in loco; *Inseparabile vero & proprium est, (febris diariae indicium) urinae concoctio statim primo die: & ad haec pulsus in magnitudinem ac celeritatem insignem auctio, ita ut frequentia per exteriorem quietem, minime servet proportionem.**

Ty-

## T Y P H U S .

Typhus appellatur febris illa, quae Nervosa ab Huxhamio, ac febris carcerum a Cl. Pringle dicitur: calor parum adauctus; pulsus debilis parvus plerumque frequens; sensorii junctiones plurimum turbatae. Si causae hujus febris, actioni nonnullorum venenorum simillimae, ad examen revocantur, statim peculiaris morbi natura nobis perspecta erit. Oritur enim ab humorum citissima corruptione, cui originem praebet aeris fixi dissipatio, aut aer atmosphaericus, phlogisticis vaporibus ad summum refertus, unde nervorum actio, atque fibrarum muscularium irritabilitas omnino perit. Animalia quae in aere intestinali admodum putrido detinentur, non solum citissime pereunt, sed statim cordis irritabilitatem amittunt. Vapores qui ex aquis stagnantibus elevantur, magnopere noxii sunt, quia particulis valde inflammabilibus constant, demonstrante Cl. Volta. Hujusmodi vapores ab alimentorum degeneratione, & diuturna corruptione saepissime generantur. Destructa itaque, aut maxime imminuta irritabilitate, nervorumque actione debilitata, calor decrescit, languida & profunda evadit respiratio, cerebrique functiones essentialiter pervertuntur. Saepe delirium supervenire in hisce casibus solet, ac quamvis raro, attamen summam malignitatem praeseferentes pustulae, variolis simillimae exsurgunt. De hisce pustulis loquutus certe est Hip. in Coac. praen. ubi ait: *Quibus in febribus continuis pustulae, per totum corpus erumpunt, lethale, si non purulentus abscessus fiat, maxime autem circa aures, his fieri solet.* Hujusmodi aere inspirato, in Typhum, nempe in continuam pessimi moris febrem incidunt, qui in

Nofocomiis vivunt , aut angustissimo carcere detinentur , & qui longas fufcipiunt navigationes . Imo fcorbutus , mea quidem fententia , ab eadem caufa quae non acute , id eft , celeriter , fed lente progreditur , ortum ducit .

## S Y N O C H U S .

Synochus denique , quo comprehenduntur Febris lenta Linnaei , Phrenitis , Febris continua putrida , putrida maligna , & Petechialis vera ; *eft Febris ex Synocha , & Typho compofita , in progreflu tamen , & verfus finem Typhus* . Obfervantur revera in hoc genere putridae febris accidentia corruptionis , cum aliquo inflammationis gradu conjuncta . Nos enim non folum in biliofis febribus , fed etiam in absolute malignis , aliquam in pulfu duritiem , linguae rubrum colorem , oculorumque ruborem animadvertimus . Haec figna primario pendent ab infigni humorum acrimonia , & a fanguinis putrido aestu ; unde modo haec , modo illa pars , quadam inflammationis fpecie afficitur . Multae etiam funt febres a corruptione humorum , ac fanguinis diffolutione genitae , quae peculiarem in aliquo organo inflammationem afferunt . In noftra enim meridionali fatifque calida regione , non raro obfervamus a cohibita perfpiratione Pleuritidem fieri , aut Hepatitidem , cum magno fimul putridae faburrae in primis viis apparatu . Hujufmodi quoque aegritudines , primis diebus biliofa fuperveniente Diarrhaea perfecte judicantur , quemadmodum & ipfa etiam confirmatur Hippocratis auctoritate . In Coac. enim praen. ait , *quibus in febre dolore lateris oboriente , alvus multa aquofa , ac biliofa egerit , hi allevantur* . Hoc enim in loco loquitur de Pleu-

Pleuritide biliosa, non autem de Inflammatoria, in qua lethalem esse alui fluxum pronuntiavit aph. 16. sect. 6. *A pleuritide, aut peripneumonia occupato, alui profluvium accedens malum.*

## F E B R I S H E C T I C A .

Inter Synochi quoque varietates haberi debet cuiuscunque generis febris hectica, quae si recte consideratur, patridam humorum diathesim pro causa agnoscit. Quid vero praecipue nomine febris hecticae sentiendum sit, breviter explicabimus. Diuturnus, permanens, acris molestusque corporis calor, vel post acutas affectiones, vel post vehementissimas animi perturbationes, cum constanti, & tantum mediocriter remittente pulsum celeritate, atque frequentia, insignique simul arteriae duritie, hecticam febrem constituit. Febrem hanc a praeternaturali & destructorio cordis calore ortam, in duas species distinguit Galenus, alteram enim simpliciter hecticam, alteram hecticam cum marcore appellat; characterem vero morbi essentialem per spicua descriptione persequitur, *Febris igitur hectica, cum marcore coincidens, promptissime ac facillime cognosci potest. Prius enim quam tangas pulsum atque calorem, oculos supra modum cavos videbis, quasi in fovea quadam conditos, ob totius humidae eorum substantiae consumptionem; ita ut ossa quibus palpebrae annexae sunt, promineant . . . . . Carnes praeterea consumptae sunt circa tempora, ita ut ea loca collapsa cavaque appareant . . . . . Pulsus autem gracilis, durus debilis, ac frequens habetur. Calor autem in primo quidem accursu debilis, sed paulo post acer, atque erodens apparet, maximeque ubi tangendo diutius immoreris. Multa de hectica maraismode a Galeno acutissimae animad-*

madvertuntur ; deinde eodem capite hecticam simplicem scribit , posse cum putrida aliqua conjungi , ac posse etiam ab ira aut maerore progigni . Febris incipiens , postquam diariae & tertianae terminos praetergressa est , si ferme uniformem intensitatis gradum , cum calore superius descripto ostendit , ad hecticam pertinere dicendum est . Sed Diagnofis hujusce febris ita differtissime a Galeno proponitur l. c. *at vero maximum tibi atque certissimum indicium erit naturae ejus , nutrito homine , quando certissime videtur transmississe omnes horas suspectas . Statim enim a cibo post unam horam , vel alteram , omnibus tangentibus aegrum , alterum incrementum febris ipsa habuisse videntur . Nec deerit , qui increpet tanquam intempesive dantes cibum , & ipso potissimum tempore accessionis , & dicat diutius fuisse expectandum , & tardasse accessionem . Sed res non ita se habet . Cuilibet enim hecticae febris proprium inseparabile id est , ut ingesto cibo calor accendatur , pulsusque in magnitudinem ac celeritatem increpescat ; ita ut aequalis esse accessio videatur . Longissima sequitur , circa signa hecticae febris Galeni disputatio , quae utilissimas practicas animadversiones complectitur . Adnotandum insuper , quod hectica febris ab humorum tantum vitio , ac praeternaturali calore oborta , pulsus reddat celerrimos , frequentissimos , acutos , rigidos , attamen parum inter se distinctos neque inaequales ; hoc quidem tempore , febris haec facilius curatur . Contra hectica simplex , si per plures menses duraverit , peculiarem alicujus organi corruptionem affert , & tunc pulsus nunquam inter se aequales deprehenduntur . Nam si pulmones aegrotant , peculiaris observatur mutatio in arteria dextra ; si hepar laborat in sinistra arteria laesionis hujusce signa apparebunt , quem-*

quemadmodum luculenter , in libro de pulsum differentiis explicabitur .

## O R D O II. P H L E G M A S I A E .

Progreditur methodus Culleniana, ad secundum primæ classis ordinem, in quo describuntur Phlegmasiæ . Haec autem affectio est *Pyrexia, cum Phlegmone, vel dolore topico, lesa partis internae functione; sanguis missus & jam concretus superficiem coriaceam albam ostendens.*

Hoc igitur ordine pertractatur de morbis omnibus acutis febrilibus, de febribus scilicet inflammatoriis . Inter genera primo occurrit .

## P H L E G M O N E .

*Pyrexia; partis externae rubor, calor & tensio dolens.* Hoc genere continentur inflammationes fere omnes locales, a diversis causis progeneritae, quemadmodum Erysipelas, Anthrax, Furunculus, Hordeolum, dolor dentium, vel auris; inflammationes omnes organis genitalibus, vel aliis partibus supervenientes, & a lue venerea ortae . Huic aegritudini, inflammationi nempe, supervenire contueverunt abscessus, pustulae, Gangrenae, sphaelus . At inflammationum indoles magnopere differt, sequiturque naturam causae a qua Phlegmone gignitur . Etenim si de Erysipelate sermo est, inflammatio haec fit ab humore secundo, utpote biliosis elementis ultra modum incalescentibus, vel lymphæ acriori, quae plerumque judicatorie, ad externas partes defertur . Nam frequentissima etiam est in hominibus pituitoso corporis habitu praeditis; in hydropicis passim ab accerrimis stagnantibus aquis ortum ducit,

artusque inferiores perturbat. Fere semper a nausea & vomitu spontaneo incipit, lingua quidem versus apicem rubra & arescens, ad basim biliosa obducitur crusta. Dejectionibus biliosis vomituque maxime adjuvatur, atque in multis epidemicis constitutionibus, biliosae putridaeque febres, post Erysipelatis apparitionem, perfecte judicantur. In principio pulsus dexter parvus, rigidus, stomachalis; caeterum in erysipelatis progressu arteriae elevantur, externae & inaequales fiunt, quia congestio illa cutanea, hanc in arteriis mutationem inducit, quacumque ratione judicari debeat. Rursum inflammationes, quae a celtico veneno excitantur, raro acutissimae sunt neque symptomatis admodum molestis comitantur, si dolores noctu ingruentes excipias. Plerumque enim pustulis profundissimis totum obducitur corpus, & tamen raro febris accenditur, & tantum pulsus elevantur, externique fiunt, quemadmodum accidit in omnibus morbis cutaneis. Ipsa denique glandularum inguinalium in bubone venereo, inflammatio & suppuratio, rarissime acutam febrem habet adjunctam. Ratio hujus differentiae in tenacitate & glutinositate, lentissimaque veneni venerei effervescencia, magnaue frigiditate, & inertia particularum quibus componitur, omnino versatur. Pulsus ab hac causa nunquam, nisi post longam in tumoribus diuque protractam corruptionem, propriam parvitatem, tarditatem, ac praecipuum languorem amittunt. Neque solum a natura causae, varii generis inflammationes nascuntur; verum a diversitate partium affectarum, diversam profecto indolem nanciscuntur. In ipso primum erysipelate, si partes superiores vexantur, molestia erit major, pulsus erunt ampliores, vehementioresque; contrarium accidit in artuum inferiorum externa inflammatione. **Ventriculus**  
acu-



acutissimo dolore & inflammatione correptus, potius frigoris, quam magni caloris sensationem excitat, pulsus fiunt interni contracti, ac valde irritati. Pectoris externa Inflammatio novam praefert diagnosim, ac idem prorsus accidit in singularum partium Phlegmone, uti ex inferioribus patebit. Multae rursus inflammationes, vel a loco cui inhaerent, vel a causa, qua producuntur nomen habent, uti Otagia sive dolor otalgicus, quo dentes afficiuntur, Paronychia qua digitus inflammatur, & plerumque suppuratur. Pernio quo manum & pedum digiti hyberno tempore tument, rubent, maximeque dolent. Phimosis & Paraphimosis quibus praeputium praesertim vexatur. A causa praecipue nomen habet Combustura, Encausis, sive combustio, quae fit dum igne vel caustica quacunque substantia, cutis ulcere laceratur.

## O P H T H A L M I A .

Gradum facit auctor systematis ad insignes reliquas inflammationes; & primo describit ophthalmiam, sive Inflammationem oculorum, quae est, *Rubor & dolor oculi; lucis intolerantia*. Ego vero hanc inflammationem in acutam & chronicam; atque in Essentialem & Symptomaticam libenter distinguerem. Acuta a tempore durationis, & signis, febre scilicet, dolore acutissimo, inflammatione externa, lacrymatione, & lucis intolerantia designatur. Haec potest etiam mitescens omnibus symptomatis in diuturnam verti. Chronica proprie mitioribus stipata doloribus, sine febre, in senili praesertim aetate, a sanguinis acrimonia & lymphae visciditate ortum ducit. Symptomatica deinde appellari debet ophthalmia, quae in febris maliguis ob sanguinis dissolutionem, & in Phreni-

nitide, variolis & morbillo, ob maximum circulationis momentum, nimiumque sanguinis aestum accidit. Ac denique symptomata quoque est pertinacissima illa ophthalmia, quae inveteratam luem veneream comitatur, & inopportuno mercurialium medicamentorum, & praesertim praeposito frictionum usu magnopere augetur; unde irreparabilis sequitur visionis amissio. Frequentissima etiam est ophthalmia in mulieribus, ob lactis retropulsionem, hoc enim fluido degenerato, sanguis in ignem acrimoniam nanciscitur.

## P H R E N I T I S.

Sequitur Phrenitis, nempe *Pyrexia acuta*; *dolor capitis*; *rubor faciei & oculorum*; *lucis & soni intolerantia*; *pervigilium*; *delirium ferox* *vel typhomania*. Hæc inligniter aucta affectio, quae ab inflammatis cerebri membranis, a veteribus deducebatur, valde periculosa est, quemadmodum sunt omnes morbi, quibus communis sensorii facultates primario laeduntur. Saepe Phrenitidis signa observamus in lochiorum suppressione, vesicae aut Hepatis inflammatione, saepissimeque etiam in malignarum febrium progressu, dum acerrimae & admodum corruptae materiae halitus, ad caput delati copiosissimam & irregularem nervei fluidi secretionem gignunt, integramque ideo sensationum oeconomiam perturbant.

## C Y N A N C H E.

In decimo genere loquitur de Cynanche; in qua reperitur *Pyrexia aliquando Typhodes*; *rubor & dolor faucium*, *deglutitio & spiritus difficilis*, *cum angustiae in faucibus sensu*. Cynanche passim an-  
gi-

gina, in varias distinguitur species; est enim modo inflammatoria, modo lymphatica, modo maligna, sive ulcerosa. Inflammatoria erysipelaceum faucium ruborem, externum etiam tumorem, in colli parte laterali ac superiori praefert. saepe faciei intumescantiam, capitis obtusum dolorem, soporosas affectiones, ipsumque etiam generat delirium; quia tonsillarum insignis intumescantia inflammatoria, sanguini a capite descendenti obstaculum opponit. Pulsus superior est, vehemens, inaequalis, maxime tempore quo angina suppuratur. Lymphatica differt ab Inflammatoria symptomatum intensitate, & qualitate praesertim humoris, quo tumor efformatur: facilius etiam curari potest, quandoquidem tenax ille lymphaticus humor, gargarismi incisivi, & discutientis opera, brevi dissipatur. Maligna denique, quae glutine corrosivo faucibus haerente gignitur, gravissima symptomata, maximaeque in primis virium dejectionem generat, uti in omnibus malignis ac corruptoriis morbis deprehenditur; periculosissimum in hac anginae specie est sanguinem mittere, curatioque antisepticiis & abstergentibus acrioribus aggredienda est.

## P E R I P N E U M O N I A .

Faucibus proximi sunt Pulmões, qui dum inflammantur, oritur Peripneumonia, id est *Pyrexia; pectoris sub sterno, vel inter scapulas dolor obtusus; anxietas, spirandi difficultas; tussis plerumque humida, saepe cruenta; pulsus aliquando mollis; faciei tumidae color purpureus*. Dum pulmonum substantia inflammatur, tunc dolor, contra ac in aliis pectoris acutis morbis, sub sterno aut inter scapulas perferitur. Saepissime vero genuinae Peripneumoniae, conjunguntur primis diebus, cum acu-  
to

to constantique dolore Pleurítico . Lingua apicem atque latera habet ex rubro-purpurea , sive livescencia , basis contra crasso obducitur subluteoque glutine . Descriptus linguae color signum est lethale , non solum in Peripneumonia , sed in aliis quoque acutis chronicisque affectibus . Icterus plerumque primis diebus observatur , ac summi etiam momenti symptomata est . Incipit morbus cum tussi inani , quae vero accedit initio tertiae , vel quartae diei , cum substantiae spumosae colorisque ferruginei expectoratione , absolute lethalis est . Pulsus pulmonalis , sive dexter , parvus , frequens , obtusus , inaequalis , tertio die internus obscurusque evadit , quemadmodum observatur in quacunque aut interna , aut externa gangraena . Respiratio valde difficilis redditur , atque dum molestissime , actio haec perficitur , pinnae nasi magnopere elevantur ; denique faciei color universus , mortalem squalorem praesefert , exceptis tamen genis , quae passim maculis occupantur ex purpureo & livido mixtis . Urina semper cruda & tenuis , a naturali parum recedere videtur : aliquando etiam crocea , biliosa at tamen limpida est , & inconcocta . In duas praecipuas species distingui solet Peripneumonia , prior quae vera & gravissima , altera quae notha , appellatur , & tunc mitior est .

## P L E U R I T I S .

Si non Pulmo , sed Pleura tantum inflammatur , tunc Pleuritis nascitur ; *nempe Pyrexia ; dolor lateris pungens ; inspiratio dolens ; decubitus in latus affectum molestus ; tussis molestissima , initio sicca , postea humida , saepe cruenta .* Qui Pleuritidis & Peripneumoniae symptomata serio considerabit , fatebitur procul dubio , non solum in  
Pe-

Peripneumonia, sed in Pleuritide etiam, Pulmones primario affici; unica tantum intercedente differentia; quod scilicet in secundo casu, praeter causam substantiae Pulmonali inhaerentem, adsit dolor punctorius, a musculorum Intercoftalium labe excitatus, in priori non secus. Et sane epispastico fedi affectae applicato, pleuritico dolore evanescente, symptomaticum tantum curatio absolvitur, reliqua enim accidentia, nempe spirandi difficultas, tussis cum purulentae materiae expectoratione, & febris acuta, quae vespertinis praesertim horis exacerbatur, usque ad finem morbi supersunt. Nequit deinde in Pleurae inflammatione & suppuratione, pus per asperam arteriam excerni, siquidem nulla patet a Pleura ad Pulmones via. Denique idem evidenter probatur diligenti cadaverum perlustratione; pleuriticorum enim pulmones semper pure referti occurrunt, dum pleura omnino illaesa deprehenditur; hujus tantum membranae superficies interna in memorata aegritudine, satis crasso ex-albo lutescente involucro obducitur. Verum concretio haec lymphatico vaporibus, in cavitatem thoracis effusa, & ob causae inflammatoriae activitatem concreto, originem debet. Idem enim accidit vaporibus Pericardii, a quo etiam cordis superficies crassum tegumentum nascitur. Pulsus Pleuriticorum in primo morbi stadio durissimi, acuti, & inaequales sunt, semper vero dexter sinistro arctior duriorque est; etsi dolor E. G. in opposito latere existens, summam in respondente pulsu irritationem afferat. In secundo stadio sputis magis concoctis apparentibus, pulsus evolvuntur, magisque undosi fiunt; molles denique evadunt in perfecta judicatione. Solet Pleuritis praeter expectorationem, aliquando per urinae vias, aliquando etiam per alvum penitus critice absolui. Quemadmodum  
a fa-

a sapientissimo etiam Hippocrate animadvertitur . In hoc casu pulsus parvi & inferiores, viam quae evacuationi judicatoriae inservire debet, manifeste ostendunt . Diarrhaea autem non semper proficua, utplurimum contra periculosa est . Contrarium accidit si Pleuriticus valde sedimentosam emittit urinam ; hac enim via sanitati perfectissimae restituitur .

Morbis hujusmodi imperfecte judicatis supervenire solent Vomica aut Empyema . Generali denique observatione constat, in omnibus morbis pectoris, externis aut internis, pulsus semper superiorem, nempe acutum, vehementem, ac durum deprehendi, ac maximam reperiri irritationem in pulsu dextro, unde arteriae dextrae diameter semper altera minor est . Quae vero obscuritas in pulsu Peripneumonicorum detegitur, confirmatae mortificationis signum est . Sed de his suo loco fusius .

#### C A R D I T I S .

Genere 13. describitur Carditis . i. e. *Pyrexia ; dolor in regione cordis , anxietas , spiritus difficilis ; tussis ; pulsus inaequalis , palpitatio , syncope .* Cordis inflammatio non adeo frequenter observatur, neque semper palpitationes cum febre hunc morbum gignunt . Observavi in cadavere militis pulmonis inflammatorio morbo enecti, pericardii interiorem superficiem cordi firmiter haerentem ; quod quidem ab inflammationis vehementia ortum duxisse existimandum est .

#### P E R I T O N I T I S .

A morbis inflammatoriis partium thoracis cavitatem occupantium, progreditur ad affectiones ejusdem

dem naturae, quae accidunt organis in imo ventre positis. Peritonitis hinc dicitur; *Pyrexia*, in qua *deprehenditur dolor abdominis, corpore erecto auctus, absque propriis Phlegmasiarum abdominalium signis*. Hoc vero nomine generico complectitur omenti, & mesenterii quoque inflammationem; plerumque vero affectio haec, inter exteriores minusque periculosas recensenda; potest autem evenire aut a morbo Rheumatico, aut ab abdominis vulneribus & contusionibus. Sed lethales hepatis, ventriculi, intestinorum, & vesicae urinae inflammationes, cum intolerabili externo totius fere abdominis dolore conjunguntur; atque aegri a levissimo quamvis contactu, maximam sentiunt molestiam. Hoc autem signum est lethale.

## G A S T R I T I S .

Sequitur Gastritis, nempe *Pyrexia typhodes, anxietas, in epigastrio ardor & dolor, ingestis quibuslibet auctus; vomendi cupiditas, & ingesta protinus rejecta, singultus*. Nisi febris adesset morbus hic ad simplicem potius cardialgiam pertineret. Attamen in hoc casu, acutissimi doloris tempore, pulsus dexter parvus, durus admodum & irritatus est; verum instante vomitu, media pars arteriae dextrae elevatur, & parvum quasi arcum constituit; idem constanter evenire solet non solum in vomitu spontaneo, sed etiam in artificiali. Saepe a vitiosis alimentis & venenis, saepe a spasmo gignitur. A *Cicuta aquatica*, ab usu Fungorum venenatorum, ventriculo spasmodyce contracto, descriptus excitatur dolor; mulieres deinde hystericae simili aliquando morbo corripiuntur. Vidi speciem chronicam, a tumore sanguineo versus pylorum ortam. Nascitur saepissime

me

me ab inconsiderata sublimati corrosivi , & aliorum mercurialium interna administratione . Gastritis nuncupatur passim ventriculi inflammatio , vel febris stomacica inflammatoria .

#### E N T E R I T I S .

Hiscæ adnectitur Enteritis , nempe Intestinorum inflammatio , sive febris inflammatoria intestinorum , ex mesenterio , juxta Hoffmannum : est autem *Pyrexia Typhodes: dolor abdominis pungens , tendens , circa umbilicum torquens , vomitus , alvus pertinaciter adstricta* . Periculosissima hæc est inflammatio , quia partes corripit tenuissimas , & eximia sensilitate præditas , unde facillimus est in gangraenam transitus ; eoque magis quia ob alui adstrictionem , & calorem febrilem , faeces ad maximum corruptionis statum perveniunt . Tempore doloris pulsus inferiores rigidissimi sunt , & valde inaequales ; incipiente gangraena cessat dolor , evacuationes nigrae & pessimi odoris apparent , pulsus profundi internique redduntur , cum frigido lethaliq̄ sudore . Hæc morbo frequenter puerperae pereunt , atque a medicis , illas uteri inflammatione periisse existimatur . At in acutissimi hujus morbi vigore lochiales evacuationes , juxta ordinem naturalem , progrediuntur , quod in inflammatione uteri difficulter profecto accidit . Denique in cadaveribus harum puerperarum nulla in utero noxa , attamen essentialis inflammatio in intestinisprehenditur .

#### H E P A T I T I S .

Hepatitis denique , sive hepatis inflammatoria affectio , sequenti definitione comprehenditur : *Py-*  
re-



*rexia ; hypocondrii dextri tensio , & dolor saepe pungens pleuriticus instar , sepius obtusus ; dolor ad claviculam , & summum humeri dextri ; decubitus in sinistrum latus difficilis ; dyspnœa ; tussis sicca ; vomitus ; singultus .* Veteres summa diligentia Hepatitidis signa adnotarunt , quia in Hepate sanguificationem collocabant ; multa ideo ad hepatitidis diagnosim & prognosim pertinentia ex Hippocrate eruuntur . Non raro tamen & alii characteres cum superioribus conjuncti , in hoc morbo occurrunt , quemadmodum Icterus , & purpureus faciei color ; qui enim hepatitide laborant colorem obtinent chlorum , sive ex viridi-flavescentem & fuscum . Dolor aliquando occupat regionem lumbalem , & ad spinam usque pertingit . Congestio tantum biliosa in hepate , acutam hanc affectionem gignit , aliquando etiam ab inflammatoria sanguinis diathesi idem accidit . In primo quidem casu , vomitu bilioso , & diarrhœa simul biliosa facilius morbus solvitur , ac causae morbificae evacuatio lenioribus catharticis adjuvanda . At in secundo , in pertinaci alui adstrictione , cum omnibus merae inflammationis signis , a purgantibus abstinendum . In hepatitide , uti in omnibus hepatis magnis læsionibus , pulsus sinister in carpo , scilicet in parte anteriori , aut omnino deficiens , aut valde profundus sive internus est , & deinde insigniter elevatur . Arteria dextra , si hepatis pars , quae supra ventriculum extenditur , inflammatur aut tumet , modo parva , tenuis , ac valde irritata est ; modo elevationem in medio habet , si vomitus spontaneus instat . Hepatis inflammatio aut dissipatur , aut in suppurationem vertitur , juxta Hippocratis sententiam , *quibus dolore , praecordiorum , oris ventriculi , hepatis , partium circa umbilicum , hi sanguine per album egesto servantur non autem egesto moriuntur*

C

riup-

*riuntur* . Suppuratio in aliqua hepatis parte dum exterior ac recens est, saepe aperto chirurgi manu abscessu curatur; si interiore occupat sedem, aut post longum a suppuratione tempus fecatur, in Tabern definit . *Quibus hepar suppuratum uruntur, siquidem pus purum fluat, & album, superstites evadunt . In tunica enim pus his inest . Si vero velut amurca fluat, pereunt . Hip. 5. aph. 45.* Lingua in hepatitide valde rubra, & plerumque arida versus apicem, & lutea est, sed quod superest tartaro densissimo ad croceum colorem vergente obtegatur . Feliciter aliquando judicatur hepatitis vel diarrhaea biliosa, vel urina copiosissimo sedimento referta . Vidimus Hepatitidem inflammatoriam anno 1778 Epidemice grassantem, fere semper salutari sanguinis obscuri & phlogistici evacuatione, in principio secundae septimanae, judicatam .

## S P L E N I T I S .

Splenis inflammatio, quae dicitur, splenitis, est *Pyrexia; hypocondrii sinistri tensio, calor, tumor, & dolor pressu auctus; absque signis nephritidis* . In splenitide accidit aliquando sputus sanguineus, frequentissimaque est sanguinis ex sinistra nare haemorrhagia; quod quidem ab Hippocrate primum memoriae proditum, confirmaturque non solum ab acutis, verumetiam a chronicis, quae in splene efformantur congestionibus . Solet etiam Lienis inflammatio in suppurationem abire, verum hujus organi suppuratio chronicum affectum gignit,

## N E P H R I T I S .

Ad Nephritidem quod attinet, haec est: *Pyrexia; dolor in regione Renis, saepe ureteris iter sequens;*

*guens ; mictio frequens urinae vel tenuis decoloris, vel ruberrimae ; vomitus ; cruris stupor, testiculi ejusdem lateris retractio, aut dolor. Hic affectus terebrem affert, dum vehementissimus est, & dum renum substantia aut a calculo, aut a mucositate, vel acriori lymphâ inflammatur ; saepe etenim Nephritidem gravissimam, verum sine febre observamus. Dum febris accenditur, urinae fiunt tenuissimae, quia tempore irritationis, crassioris lotii secretio, ob magnam solidorum constrictionem prohibetur. In Nephritide calculosa sanguine etiam tingitur urina. A nervorum consensu, & stimulo praeternaturali, reliqua explicantur phaenomena.*

#### CYSTITIS, & HYSTERITIS.

*Cystitis dicitur vesicae urinariae inflammatio ; Hysteritis vero est inflammatio uteri. In priori morbo observatur Pyrexia ; hypogastrii tumor & dolor ; mictio frequens dolorifica, vel ischuria. Pendet vero vel a Nephritide pertinaci, vel ab Erysipelatis quadam specie, vel a morbo Venereo, vel ab acerrima ipsius urinae qualitate ; quemadmodum fit ubi particulae corrosivae cantharidum lotio communicantur. Aliquando etiam post calculi extractionem exoritur. Molestissimus primo tempore est dolor hypogastrii ; atque tumor supra pubis regionem circumscribitur intra satis angustos limites. Sed ingravescente morbo hypocondria totumque abdomen meteorismo distenduntur ; quia vesica corrupta, putridaque urina referta, mephiticum vaporem ad omnes imi ventris cavitates mittit, ac naturâ suâ satis corruptibiles humores abdominales, ad extremum usque corruptionis statum perducit ; unde meteorismus nascitur.*

In hoc gravissimo vesicae urinariae morbo, lin-

gua aspera, in extremitate rubra redditur; respiratio profunda fit, atque difficilis. Pulsus inferiores, parvi scilicet, atque in statu inflammatorio vesicae, duri, & inaequales sunt; arteriae tamen sinistrae media pars magis elevata est. Verum si vesica inflammata gangraena afficitur, quod quidem passim accidit, tunc febre prorsus deficiente, pulsus capillares, atque interni redduntur. Denique si post vesicae inflammationem urinae purulentae evacuantur, de ejusdem partis insanabili ulcere agitur. Hip. praen. §. 19. *Porro vesicae durae & dolentes, penitus quidem horrendae, ac perniciosae sunt, perniciosissimae vero, quae cum febre continua fiunt.*

Hysteritis deinde est *Pyrexia; hypogastrii calor, tensio, tumor, & dolor; os uteri tactu dolens; vomitus.* Puerperae atrocissimo hoc morbo saepius infestantur; membranarum aliqua particula in uteri cavitate relicta, manus obstetricis imperitiae, quae ruditer operatur, potionibus calidioribus, & aromaticis ante, & post partum copiose ingurgitatis, nimis calido regimine; praesertim si puerperae calidum corruptumque aerem spirant. Causa etiam humoralis, si a vehementi pariendi actione exagitata morbum inflammatorium gignit, inter partes, quae primario afficiuntur est uterus; siquidem & reliquis organis debilius est, & adhuc majorem sanguinis copiam retinet. Corrupti humores in primis viis stabulantes, quia a febribus puerperarum ulterius corrumpuntur, propria acrimonia uteri sensilem, ac valde irritabilem substantiam inflammare valent. Febres ideo acutae puerperis supervenientes, in lethalem saepe uteri inflammationem desinunt. Hysteritis vero conjungi debet cum acuto dolore, in uteri ipsius substantia, quandoquidem, uti supra dictum est, passim  
in

in puerperis febre inflammatoria enectis, non uteri, sed intestinorum inflammatio apprehenditur.

## R H E U M A T I S M U S .

Rheumatismus, & Arthritis, postrema hujusce ordinis genera constituunt. Prior itaque est morbus ab externa, & plerumque evidente causa; Pyrexia; dolor circa articulos, musculorum tractum sequens, genua, & reliquos majores, potius quam pedum & manuum articulos infestans. Saepenumero a lymphâ sanguinis acriori reddita excitatur; hæc autem lymphâ si crassior evadit, morbus longissimus exurgit. Hujus generis varietates sunt Lumbo, Ischias, Pleuritis spuria, odontalgia; quæ quidem ægri tudines passim a cohibita perspiratione fiunt. Ischias vero adeo pertinax esse solet, ut nequeat omnino dissipari, nisi efficacissimis adhibitis resolventibus præsiidiis. Rheumatismus aliquando morbus est essentialis a causa externa factus; tunc dolores primo nascuntur, deinde multis elapsis diebus febris exurgit. Febris enim in hoc casu, sive adaucta circulationis vehementia, absolute necessaria est, ad inchoandam absolvendamque coctionem. Dolores quoque Rheumatici a lue venerea orti, post longum tempus febrem inducunt. Verumtamen Rheumatismus symptomaticus observatur frequentissime in febribus intermittentibus, tempore exacerbationis, & comitatur etiam febres a lochiorum suppressione, aut lactis retrupulsione genitas; nam in hujusmodi casibus materia, quæ morbum facit plerumque ad exteriora fertur; intermittens enim sudore, aliaque febres Rheumaticæ dictæ abscessu ad articulos, ut plurimum judicantur. In genuino Rheumatismo pulsus sunt externi, elevati, vehementes, inaequales, primo

tempore duri ac vibrantes, postea vero molliores, atque undosi, quod quidem semper perfectae judicationis signum est.

## A R T H R I T I S .

*Arthritis est morbus sine causa externa evidenti, sed praeunte plerumque ventriculi affectione insolita; pyrexia; dolor, ad articulum, & plerumque pedis pollicis, certe pedum & manuum juncturis, potissimum infestus; per intervalla revertens, & saepe cum ventriculi, & internarum partium affectionibus alternans.* Ipsa definitio elegantissimam Podagrae diagnosi complectitur, recteque primo a causa externa manifesta, minime provenire existimatur, immo in ipsis humani corporis elementis, feminium podagricum contineri dicendum est, ideoque merito inter haereditarios morbos recensetur. Rarior tamen est Podagra apud homines constanter exercitatos, qui valde frugaliter vivunt; corporibus contra minus perspirabilibus, ac pinguibus alimentis sagineis valde infesta. Mulieres minus laborant Podagra; mulier enim, juxta Hippocratis effatum, non laborat podagra, nisi ei prius menstrua defecerunt. Causa arthritidis, dum a pedibus aut manibus avertitur, aut thoracem, aut ventriculum afficere solet; si musculis intercostalibus adhaeret aliquam spirandi difficultatem cum externo dolore gignit; si ad pulmones fertur fere semper asthma generat. In ventriculo vero podagricus humor collectus, nauseam, appetitus prostrationem, cardialgicum dolorem, & similia inducit. Denique si versus interiora capitis determinatur lethales apoplexias affert.

ORDO

## ORDO III. EXANTHEMATA.

Hoc ordine comprehenduntur morbi omnes, & febres exanthematicae. Character essentialis est; *Post febrem phlegmasia, plerumque phlegmonae plures exiguae, per cutem sparsae.* Primo describitur;

## ERYSIPELAS.

*Synocha febris unius, vel duorum dierum. In cutis aliqua parte, saepius in facie rubor roseus, pressu evanescens, sed mox rediens, diffusus, ambitu inaequalis, in vicinam cutem serpens, simul prius occupatam deferens, tandem in cuticulae squamulas, in phlyctenas vel vesiculis abiens.* Erysipelas oedematosam & subluteam apparentiam habet, quando in corpore cachexia, aut hydrope affecto excitatur, neque longissimus rigor deesse solet a prima exacerbatione febrili. Pulsus sunt externi, durissimi, vehementes, admodum inaequales; in morbi ingressu parvi, celerrimi & frequentissimi; elevantur postea, ac molles undosique evadunt, non solum dum Erysipelas dissipatur, verumetiam dum suppuratur. Lingua, ut plurimum in extremitate rubet, caeterum crasso tartaro obducitur; quia hoc morbi genus a bilis humorumque putridorum in primis viis abundantia fere semper gignitur. Hinc arteria dextra saepissime in principio admodum contracta, & irritata observatur, urinae statim tenues ac decolores, in febris aestu croceae, sed absque sedimento; attamen quinto vel septimo judicatoriam nubeculam, atque hyposthasim ostendunt. Quamvis sudore quoque Erysipelas soleat dissipari, tamen frequentius critice per urinae vias evanescit. Memini inter alia me vidisse in faciei erysipelate admodum phlo-

gistico mictum cruentum absolute criticum .

## P E S T I S .

Pestis dicitur *Typhus maxime contagiosa* . *Inter-  
to morbi die eruptio bubonum vel anthracum* . Qui  
omnes morbos a febre oriri existimant , pestem  
febrem pestilentialem appellant , uti inter caeteros  
fecit Hoffmannus . Verumtamen venenum pesti-  
lenticiale , a quo maligna febris gignitur , similli-  
mum est reliquis venenis contagiosis ; communi-  
catur enim , vel contactu rerum contagio infecta-  
rum , vel aere vaporibus infectorum hominum , &  
exhalationibus cadaverum coinquinato . Scimus in-  
ter accidentia Pestis summum quandoque languo-  
rem , aliquando etiam atrocissimum adesse , ac ma-  
niacum delirium ; quae quidem corruptoriam , &  
acrem simul veneni indolem declarant . Quo vero  
effluvia venefica copiosiora sunt , & certum at-  
mosphaerae spatium costanter occupant , contagii  
vires efficaciores redduntur . Ita multae febres ,  
quae in locis puriori aere perflatis , raro conta-  
giosae sunt , in locis contra angustis & clausis ,  
malignae fiunt , & contagiosae , uti putridae illae ,  
& petechiales , quae in carceribus ac nosocomiis  
grassantur . Hinc semper utilissimus est frigidiuscu-  
lus aer in venenatorum morborum curatione , quip-  
pe adaucto atmosphaerae calore , venenosae parti-  
culae multiplicantur ; quod non secus accidit in  
aere frigido .

## V A R I O L A .

Proxime Pestem sequitur Variola , quae est ;  
*Synocha contagiosa cum vomitu , & ex Epigastrio  
presso dolore* . *Tertio die incipit , & quinto finitur*  
eru-



*eruptio papularum phlegmonodearum, quae spatio octo dierum, in suppurationem, & in crustas demum abeunt, saepe cicatrices depressas, sive foveolas in cute relinquentes.* Revera morbus hic, ab initio ad finem usque valde irregularis est, in variis subjectis. 1. enim non semper cum vomitu conjungitur, ac non raro tussim, ac soporem in principio habet. 2. non semper tertio die papulae, quae tenuissimo roseo colore donantur, apparent; nam in malignis Variolarum constitutionibus, in primo paroxysmo eruptivo, pustulae aliquot reliquis majores, erumpunt, & praecocem suppurationem mentiuntur. 4. minimae, quoad magnitudinem, in unum quasi congregatae, sive confluentes pustulae, maculae exanthematicae, livescentes, lividus pustularum color, suppuratio praecox, oculi multo sanguine suffusi, delirium, haemorrhagia ex naribus, gingivis, aluo, pustulis ipsis, aut viis urinariis, frequentissima praesertim stertutatio, palpebrarum oedematosus, & lividus tumor; In progressu morbi, totius corporis praeternaturalis marcor, respiratio quae magnopere pacata videtur, pustulae depressae, tempore suppurationis, urinae semper crudae, aliquando sanguineae & nigrae; convulsiones, atque tremores, quinto, nono, aut undecimo apparentes, diarrhaea in principio, color faciei erysipelaceus, ante suppurationem; pulsus initio amplior sed mollis, vacuus, & inaequalis, ac frequentissimus, postmodum parvus obscurus internus, capillaris; Tussis sicca recrudescens; nulla febris remissio post eruptionem, abscessus in variis corporis partibus formati; dolores saepe acutissimi praesertim in tibiis, & denique incoercibilis, atque involuntaria acerrimo humore costans salivatio: haec sunt peculiarissima signa, quae in malignis periculosissimis

Va-

Variolis deprehenduntur. Variolarum deinde benignarum, & facile curabilium characteres sunt. Febris vehementissima cum pulsu parvo, duro, irritato, frequentissimo, & inaequali, in primis diebus, tussis, vomitus, convulsivi motus, pallor faciei, languor summus, magna virium prostratio, oculorum rubor, lumborum dolor; pustulae versus tertium erumpentes, raras, magnas, circulo rubro circumscriptae, & quae sexto, aut septimo foveolam in medio ostendunt. Puris densitas notabilis, cum colore ex albo in luteum vergente; magna enim fluiditas, & cinereus etiam puris color de corruptoria indole nos admonent. Fluiditas tamen augetur semper post perfectam suppurationem. Alui silentium a quinto ad nonum, & usque ad undecimum, pulsus in eruptione externus, vibrans, inaequalis, in suppuratione mollior, & undosus; febris intermissio inter eruptionem, & suppurationem, respiratio sana, nullus aut fere nullus pustularum confluxus, benigna salivatio; urinae primo tenues pellucidae, aquosae, dein subcroceae, postea turbulentae, ac denique in secunda septimana copioso sedimento refertae, diarrhaea nono aut undecimo, a natura ipsa excitata, nulla tussis; regularis in suppuratione primo capitis, deinde artuum inflatio: Haec si observantur, bene de aegro sperandum; sin minus, contra. Ad sunt vero signa quaedam peculiaris, quae dum de variolarum eruptione incerti sumus, morbi naturam, fere semper certo declarare consueverunt. 1. Cutis arida & fere squamosa, contra ac in tenera aetate. 2. Lingua versus basim glutine crasso sensim evanescente obducta, in ambitu rubra, punctulis rubris versus extremam partem, quae tartaro tegitur. Hoc est constantissimum signum in variolis, morbillis, scarlatina, sed nunquam a variolis abest.

abest. 3. Urinae tenues, decolores. 4. Dolor si-  
ve potius lassitudinis sensus in regione lumborum.  
5. Palpebra inferior macula livefcente obducta.  
Nihil adjiciam de vomitu, somnolentia aliisque  
vulgo cognitis in principio morbi accidentibus.  
In regularibus variolis, pulsus primo celerrimi,  
frequentissimi, inaequales, irritati, postea elevan-  
tur, undosi fiunt, ac molliores, semper vero ex-  
terni. Ita res se habet, dum salutaris perfici-  
tur suppuratio. Atque absoluta pustularum sup-  
puratione pus antea densior, attenuatur, sublu-  
teum colorem amittit, & cinereum assumit, quia  
ad summum corruptionis statum pervenit. Tunc  
si urinae crassiores factae, nubeculam albicantem  
ostendunt, simulque spontanea diarrhaea supervenit,  
bonum.

#### INSITIONIS BREVISSIMA HISTORIA.

Variolae naturales, de quibus sigillatim disse-  
ruimus, periculosissimae sunt, non solum, quia  
magnum puerorum numerum e medio tollunt, ve-  
rum etiam, quia superstites aegri saepissime amif-  
fis oculis, aut anchylofi, vel surditate affecti mi-  
ferrime vivunt. Hinc factum est, ut divino quo-  
si consilio, insitione adhibita, in tenerrima aetate,  
benignae semper Variolae soleant excitari. Est au-  
tem insitio operatio illa qua variolae, contagio ex-  
terno, cuti admoto, sanis corporibus, artificialiter  
communicantur. Ab Orientalibus utilissimam in-  
ventionem Europaei didicerunt, ac propriis ob-  
servationibus penitus perfecerunt. Nam vetustior  
operatio sequenti ratione insituebatur; parato prius  
venae sectione, cathartics, diluentibus, & fru-  
gali diaeta, subjecti corpore, sex aut octo li-  
nearum incisione in humero facta, vulnere ap-  
pli-

plicabatur filum pure variolarum exsiccato ma-  
 didum, atque emplastro superimposito, ulceris  
 primum suppuratio, deinde variolarum eruptio ex-  
 pectabatur; tunc aegrotantes calido conclavi deti-  
 nebantur. Annis vero superioribus celeberrimi in  
 Anglia viri, novam utilissimamque insitionis metho-  
 dum excogitarunt. Lanceola enim chirurgica, acu  
 vel quocumque alio acutissimo instrumento recen-  
 ti pure, sed in ultima tantum extremitate infici-  
 tur, & inter cuticulam, & cutim adigitur vel in  
 utroque, vel in alterius brachii duobus locis. Ope-  
 ratio vero adeo instituenda, ut puris variolosi mi-  
 nima, ac invisibilis molecula in vulneribus rema-  
 neat; nullo adhibito emplastro, nullaque fascia super-  
 posita, integrum negotium naturae committendum.  
 Secunda, aut tertia die brachii puncturae, par-  
 vam rubram maculam, incipientis nempe inflam-  
 mationis signum ostendunt. Usque ad octavum,  
 raro ante septimum, & semper per gradus, pars  
 vulnerata in magnam variolosam pustulam rubore  
 circumdatam, & foveola in medio notatam tran-  
 sit. Quo pustula insitione procurata celerius ex-  
 panditur, & largiori cingitur macula erysipelacea,  
 eo mitior erit, securiorque morbus. Contra pu-  
 stulae simplex rotunditas, & elevatio cum angu-  
 stissimo circulo rubro, graviora in eruptione sym-  
 ptomata, magisque confertas variolas promittit.  
 Septima, aut octava, prima febris mitis admo-  
 dum, variis sociata aegritudinibus, lassitudine scili-  
 cet, dormitandi desiderio, dolore in axilla, & lum-  
 bis, pulsu celeri, irritato, inaequali excitatur, atque  
 priusquam remissionem acquirit, secundo, & qui-  
 dem vehementissimo paroxysmo excipitur; saepe  
 enim vomitus, convulsiones, ac somnolentiae ad-  
 sunt; pulsusque summam celeritatem, atque fre-  
 quentiam servant; in tertia, & sane debiliori  
 exa-

exacerbatione variolae apparent, aliquando numerosae, saepe paucae; denique aliquando circa puncturam tantum, & tamen ab omni futuro contagio aegri liberi evadunt. Nullis deinde accidentibus mitissima pustularum suppuratio perturbatur, rarissimeque, dum variolae insititiae copiosae sunt, levissima accenditur febricula. Artificialium variolarum felicissimus successus a medici diligentia pendet; nam 1. frigidae atmosphaerae aegri tempore febris eruptivae, magni caloris, & convulsionum sunt objiciendi. Statim enim mitescunt symptomata. 2. pedum vero naturalis calor artificialiose servandus. 3. Catharticum ex mercurio dulci, & pulvere Radicis Jalapae, repetito, tempore eruptionis est administrandum. 4. Fructibus acidis, & victu maxime vegetabili utendum. 5. ab oleosis, butyro, oleo, caseo, & similibus prorsus abstinendum. Pauca attamen essentialia de artificialibus variolis hoc in loco adnotavimus; multa, quae ad hanc doctrinam peculiariter assequendam faciunt, ex numerosis scriptoribus, qui in eodem argumento illustrando insudarunt, facile depromuntur.

## V A R I C E L L A .

Varicella nuncupatur spuriarum variolarum species; quae tamen affectio, a genuinis variolis essentialiter differt. *Febris est Synocha; Papulae post brevem febriculam erumpentes, in pustulas variolae similes, sed vix in suppurationem euntes; post paucos dies in squamulas, nulla cicatrice relicta, desinentes.* Brevitate praesertim circuitus a variolis distinguitur; caeterum non raro papulae fatis confertae sunt, & bene concocto pure replentur.

RU-

## R U B E O L A .

Rubeola, five morbilli, est *Synocha febris contagiosa, cum sternutatione, epiphora, & tussi sicca rauca*. Quarto die, vel paulo serius erumpunt papulae exiguae, confertae, vix eminentes, & post dies tres in squamulas furfuraceas minimas abeunt. Os & fauces inflammantur, linguae basis, glutine phlogistico albo tegitur; nasus tenuissimum, acerrimum humorem jugiter extillat. Pulsus primis diebus valde irritati, duri, & inaequales, quamvis externi; versus finem, dum desquamatio instat molles, undosi, & inaequales sunt. Saepe alvus in fine morbi critice solvitur, & tunc pulsus sinister in parte posteriori depressus, salutarem diarrhaeam indicat. Imperfecta judicatio, praesertim illa quae ob cohibitam frigore externo insensibilem perspirationem accidit, aut biliosam febrem, aut tussim ferinam, aut acutum pulmonis morbum gignit. Rubeola hyberno praesertim, & vernali tempore grassatur; nam cohibita hisce tempestatibus, ob levissimas profecto occasiones, insensibili perspiratione, haec aliarum causarum in nostris humoribus latentium evolutionem adjuvat.

## M I L I A R I A .

Miliaria, Scarlatina, & Urticaria, magnam cum Rubeola analogiam habent. Miliaria est *Synochus, cum anxietate, frequenti suspirio, sudore olido, & punctiōibus cutis*. Incerto morbi die erumpunt papulae rubrae, exiguae, discretae, per totam cutem; praeter faciem, crebrae, quarum apices, post unum vel alterum diem, pustulas minimas albas, brevi manentes ostendunt. Hic morbus dicitur etiam febris purpurea, five miliaris.

SCAR-

## S C A R L A T I N A .

Scarlatina est Synocha contagiosa ; Quarto morbi die, facies aliquantum tumens, simul in cute passim rubor floridus, maculis amplis, tandem coalescentibus, post tres dies in squamulas furfuraceas abiens.

## U R T I C A R I A .

Urticaria, sive febris urticata, & uredo, est febris amphemerina contagiosa, in qua primis diebus rubores apparent maculosi, urticarum puncturas referentes, interdum fere evanescentes, vespere cum febre redeuntes, & post paucos dies in squamulas minutissimas penitus abeuntes. Pulsus in hac febre, in principio exacerbationis, parvi, interiores, duri, & admodum inaequales sunt, & primo die febris cum molestissimo longoque frigore incipit, non secus vero accidit in secundo, aut tertio paroxysmo. Ita evenire semper videmus in omnibus morbis eruptivis, in omnibus suppurationibus, erysipelate, morbillo, & similibus,

## P E M P H I G U S .

Ab auctore appellatur Pemphigus, febris maligna contagiosa, quae etiam Morta a Linnaeo dicitur; secundo, aut tertio morbi die, in variis partibus vesiculae avellanae magnitudine, per plures dies manantes, tandem ichorem tenuem effundentes. Raro haec apud nos observatur febris.

## A P H T H A .

Postremum hujus Ordinis genus constituit aphtha, quae versatur in linguae, oris faciumque molestissima


*ma exulceratione , cum febre synocha conjuncta .* Quemadmodum in fedibus , quae aphtha affici con-  
 fueverunt , multi humores in celerrimam corrup-  
 tionem proni reperiuntur , uti est praesertim sa-  
 liva , atque etiam ob exhalationem aeris post in-  
 spirationem corrupti , os alkalinis saturatur , &  
 flogisticis effluviis , ideo facillimum est intellige-  
 re , cur aphthae dolorem valde acutum , atque insi-  
 gnem molestiam excitare valeant , in locis ob pro-  
 priam inprimis naturam sensilissimis . Natura mor-  
 bi ab ipsa etiam curatione declaratur ; siquidem  
 in hoc casu , medicamenta putredini adveria , ut-  
 pote acescentia , antiseptica , & abstergentia , cura-  
 tionem absolvunt . Saepissime quoque videmus a-  
 phtham morbum esse absolute secundarium , ortum  
 a corruptorum humorum saburra , in primis viis  
 existente . Aphthae perniciosissimae sunt in acutis ,  
 putridis febribus , semperque malignos biliosos  
 morbos comitantur , & naturam acerrimam , dis-  
 solutoriam humorum ostendunt . Corollarii loco  
 adnotantur exanthemata symptomata , uti purpu-  
 ra , & petechia ; accidentia enim sunt , quae mor-  
 bi pessimam indolem declarant , atque in diver-  
 sissimae naturae aegritudinibus apparent . Praebent  
 enim signum lethale in confluentibus variolis , si  
 in primo , id est eruptivo morbi stadio deprehen-  
 duntur , tunc enim a corruptissimo sanguine in  
 spatia cellulosa effuso exanthemata gignuntur .

#### ORDO IV. HAEMORRHAGIAE .

Ordo quartus complectitur haemorrhagias cum  
 febre sociatas , de quibus brevissime agendum ;  
 superius enim de illarum natura nonnulla attigimus .  
 Haemorrhagia vero juxta Cullenium est *Pyrexia*  
*cum profusione sanguinis absque vi externa : sanguis*  
*ex*



*ex vena missus, se habet ut in inflammatione.* Ad hanc vero sectionem pertinent Epistaxis, sive haemorrhagia narium, Haemoptysis, sive sanguinis fluxus ex pulmonibus, haemorrhoidis, scilicet sanguinis exitus ex venis Haemorrhoidalibus circa anum positus, & menorrhagia, sive sanguinis mentrui fluxus vitiosus. Inter morbos febriles haemorrhagia recensetur, quamvis fere semper sit aliarum affectionum symptoma, aliquam enim diversi generis causam in aliqua peculiari corporis sede collatam agnoscit sanguinis profluvium. Rursum nullam observamus essentialem febrem, a quacunque haemorrhagia ortam, immo acutissimae, & inflammatoriae febres, sanguine, e naribus, haemorrhoidibus, hepate, utero, & ipsa etiam vesica urinaria erumpente feliciter judicantur. Haemorrhagiae vero, quae putridis febribus saepe superveniunt febrem proprie dictam, nempe pulsuum celeritatem, atque frequentiam, cum magno vitae periculo imminuunt. Omnes denique motus febriles, qui tempore vehementissimi fluxus sanguinei excitantur, non essentialem febrem, sed peculiarem in arteriis diversis mutationem, a qua haemorrhagiae sedes, & natura demonstratur, denotant; quod quidem facile a sequentibus observationibus colligitur.



EPISTAXIS.

*Epistaxis est capitis dolor vel gravitas; faciei rubor; profusio sanguinis e naribus.* Capitis acutus aut gravativus dolor, fere semper hanc haemorrhagiae speciem comitatur, quia sanguis praeternaturaliter per nares evacuatur, dum abundanter intra vasa capitis colligitur, non solum ob capitis peculiare morbos, verum etiam, quia obstacula

D in

in remotissimis partibus posita, difficiliorem sanguinis regressum a capite ad cor reddunt. Faciei rubor observatur tantum, ubi nasalis haemorrhagia morbo inflammatorio supervenit, quia tunc copiosissimo calore sanguis effervescit. In aliis vero profluviis, non universalis rubor, sed genarum tantum purpureus color deprehenditur. Plures sane sunt causae essentiales, quae huic, nempe nasali haemorrhagiae occasionem praebent, & juxta variam causarum naturam, memoratus fluxus variis distinguitur signis diagnosticis. Interdum enim in hepatis aut lienis obstructione dextra, aut sinistra naris sanguinem fundit, & haec evacuatio quamvis sine febre eveniat, tamen semper cum pulsu dicroto conjungitur. Rursum nasalis haemorrhagia a pectoris morbis, hydropse scilicet thoracis, tumore aliquo, aneurysmate, cordis palpitatione, & similibus evenire solet, & eodem caractere pulsus dignoscitur. Capitis vero affectiones, in quibus vasa sanguinea praeternaturaliter distrahuntur, & causae omnes, quae regressui sanguinis versus cor opponuntur, sanguinis e naribus effusionem absque pulsu dicroto gignunt. Genuinas nasalis haemorrhagiae causas, & quomodo a compressione venae subclaviae, ob pectoris angustiam, & pulmonis versus superiora elevationem pulsus dicrotus, sive bis feriens nascatur, in eleganti dissertatione, solidissimis observationibus innixus nuperime ostendit Cl. amicus Vincentius de Honurfrio. Sanguinis vero e naribus fluxus in acutis inflammatoriis febribus, etiam in Pleuritide & similibus, morbum aut solvit, aut mitigationem reddit. Verum in malignis affectibus, dum nares sanguinem corruptione solutum emittunt, signum erit lethale. Difficiliter etiam judicantur obstructiones hepatis aut lienis, quae nasali haemorrhagiae occa-

caſionem praebent ; tunc enim ob magnitudinem tumoris, validamque inde obortam vaſorum axillarium compreſſionem, ſanguinis fluxus excitatur .

## H A E M O P T Y S I S .

*In Haemoptysi observatur, genarum rubor ; moleſtiae ; aut doloris , & aliquando caloris in pectore ſenſus , diſpnaea ; titillatio faucium ; tuſſis aut tuſſicula, ſanguinem floridum ſaepe ſpumofum rejiciens .* Ab haemoptyli oritur Phthiſis pulmonalis, ulcere ſcilicet in pulmonis ſubſtantia efformato . In ſputo ſanguinis tuſſis cum ſtrepitu in faucibus adnotatur . Reſpirationo tamen raro fit difficilis , atque laborioſa , genae , ut plurimum dextrae ruber , aut purpureus color animadvertitur . Pulſus dexter valde irritatus , dicrotus eſt , & aliquam acquirit elevationem , ſub medium digitorum obſervatoris , ſiniſtra arteria , quamvis inaequalis , tamen mollior eſt . Non ſolum cauſae in pulmonibus magnisque vaſis exiſtentes , uti plethora ſimplex , aneurysma aortae , ſcorbutica diatheſis humorum pulmoni haerentium ; ſed cauſae etiam extra thoracem collocatae , ſputum ſanguinis frequenter afferunt . Hepatici non raro ſanguinis ſputo corripuntur ; uteri plethora , quae evacuatione per proprium emunctorium non imminuitur , haemorrhoidalſis ſanguinis retardata evacuatio , haemoptyſim ſaepe numero gignunt . Non raro , qui ſanguinis copioſiſſimo ſputo corripuntur , horae momento pereunt . Hoc in duobus aegris eveniſſe vidimus , rupto intra bronchiorum cavitatem magnae arteriae aneurysmate , unde irreparabilis ſuffocatio . In hoc caſu aegri per longum tempus tenuiſſimi ſanguinis ſputo , per intervalla afficiuntur , & de moleſto dolore , ſuperiorem dorſi partem occupante quaeruntur . A ſanguinis ſputo Ta-

bes. Tussis incipit vespertinis horis sicca, molestissima, matutino tempore humida; primis mensibus lympham gelatinosam, tremulam, pellucidam educit, deinde puris lutescentis figurati, postea corruptissimi ichoris evacuatione terminatur. Oculi fiunt concavi, & languentes, collabescunt tempora, pinnae nasi attenuantur, ungues admodum gibbi facti versus apicem insigniter incurvantur. Gena, ut plurimum dextra maculam rubram praefert. Urinae pellucidae, & croceae minguntur; copiosi sudores horis matutinis emittuntur. Musculi abdominales rigidissimi facti, obstructionem subjacentium viscerum mentiuntur; alui summa in primo morbi stadio, obstipatio observatur. Horis pomeridianis calor exurgit cum parvitate, & celeritate, magnaue pulsuum frequentia, quae sudore superveniente imminuitur. Haec vero hecticæ febris exacerbatio quotidiana, passim adnotatio incompressa appellatur. Attamen in Phthisi pulmonali pulsus pectorales superiores, & irritati sunt; arteria dextra tenuior, durior, vibrans, mediam partem in acutum parvum arcum elevatam digitis opponit. Sinistra amplior, & vehementior, semper vero inaequalis in medio, integre profecto evanescit in carpo, scilicet in parte anteriori, & deprimitur etiam versus cubitum. Si diarrhaea oborta, profluentibus capillis, viribus ad summum prostratis, deficiente expectoratione pulsus interni, & capillares evadunt, mors imminet. Propositam Phthisis pulmonalis descriptionem a numerosissimis accurate admodum institutis observationibus, a natura ipsa obtinere conati sumus.

HAE-

## H A E M O R R H O I S .

Haemorrhoids: *Capitis gravitas vel dolor; vertigo; lumborum dolor; dolor ani; circa anum tubercula livida dolentia, e quibus plerumque profluit sanguis, qui aliquando etiam, nullo tumore appARENTE ex ano stillat.* Haemorrhoids, Haemorrhoidalis fluxus, & Marisca, idem profecto significat. Distinguendi profecto sunt haemorrhoidales fluxus, vel venarum haemorrhoidalium tumores, qui a causa interna, & a peculiari temperie corporis, pendent, ab illis, qui aliarum aegritudinum comites sunt. Variat deinde haec sanguinis evacuatio juxta hominis aetatem. Adolescentes sanguineo corporis habitu praediti, quique vel adhuc impuberes sunt, vel a venere abstinent, fluxum haemorrhoidalem experiuntur, ob simplicem plethoram, ac crassioris densiorisque sanguinis abundantiam. Post perfectam evolutionem desinit, morbeseque ob digestionis vitia in proveciori aetate revertitur, praesertim vero homines laute viventes otiososque perturbat. Hepatis obstructio, fluxum haemorrhoidalem gignit. Saepenumero dum acutissima viget hepatitis, si in diebus judicatoriis profusissimus accidit sanguinis ex ano fluxus, aeger fervatur. Hanc Hippocraticam doctrinam constans confirmavit experientia. Rami memoratarum venarum circa collum vesicae reptantes, aliquando tument, & primo Ischuriam vesicalem, deinde mictum sanguineum efficiunt. Gravidae, parturientes, & puerperae haemorrhoidibus laborant. Caeterum non raro haemorrhoidum tumores suppurantur, & aliquando fistulam in ano relinquunt. Pulsus sinister elevatus in parte media, de fluxus haemorrhoidalis praesentia nos admonet.

Menorrhagia, sive sanguinis menstrui immodica evacuatio conjungitur, *cum dorfi, lumborum, ventris, parturientium instar, doloribus; sequitur menstruorum copiosior, vel sanguinis, e vagina praeter ordinem fluxus*. Si haec signa tempore pubertatis, in virgine oriuntur, tunc menstruae evacuationis initium expectari debet. Praeter adnotata accidentia, mammaram etiam dolor, & molesta intumescencia uteri plethoram praenunciant; atque ob eandem rationem mammaram tumiditas graviditatis signum esse solet. Gravida vero mulier, quae memoriae infirmitatibus corripitur, ante nonum mensem, de abortu metum injicit; attamen opportuno tempore, partum in propinquo esse declaramus. Reperiuntur vero non paucae mulieres, quae singulis gestationis mensibus, sanguinem sine ullo detrimento emittunt, quia tunc ex vaginae vasis extillat. Multae profecto iunt causae, a quibus haemorrhagia uterina oriri potest. Aut enim fit ob praeternaturalem imbecillium vasorum plenitudinem; & quidem nos semper laxioris temperamenti mulieres uberius menstruare observamus. Obstructiones viscerum naturalium idem efficiunt; immo insuperabiles fere sanguinis ex utero fluxus, ab hepatis vitio manantes, deobstruentibus eradicative curatos vidi. In hisce casibus faciei color valde defoedatus, in motu difficilis respiratio, & artuum oedemata morbo adjunguntur. Periculosae admodum sunt haemorrhagiae illae uterinae, quae ante, & post abortum, sive ante, & post partum naturalem excitantur. Fluxus valde moderatus gravidae supervenit, cum lumborum dolore, sive potius defatigatione dorfi, & lumborum, & cum frequentiori mingendi difficultate. Per aliquot

quot dies cessat sanguinis evacuatio , praeconcep-  
 tique abortionis timores evanescent ; attamen mo-  
 mento temporis de tanta spe decedit mulier , quia  
 cum uberrimo sanguinis profluvio foetum emittit.  
 Dum talia eveniunt mortuum primo apparente  
 sanguine foetum , neque ullo modo impediri pos-  
 se abortum pronuntiabimus . Post abortum saepis-  
 sime lethales eveniunt haemorrhagiae , quae in ipsa  
 maxima virium prostratione , & animi deliquio para-  
 tum a natura opportunissimum praesidium inveniunt.  
 Lipothymiae igitur in hoc casu summam afferunt uti-  
 litatem . Partus coloribus , simulque sanguinis pro-  
 fluvio vexari incipit mulier ; retardatur hac causa  
 partus , atque ab ipsius infantis corpore haemorr-  
 rhagia suscinetur , quia ante partum sanguis copio-  
 se fluit , ob praecocem Placentae ab utero separa-  
 tionem , neque coerceri potest , quia vasa aperta , &  
 fibrae a foetu distractae , nequeunt naturali insitae  
 ipsis contractilitate statim claudi contrahique . Rur-  
 sum a tanta sanguinis copia foetus in suffocationis  
 imminente periculo versatur ; tunc diligenti obstre-  
 tricis manu naturalis operatio adjuvanda . Pessimae  
 omnium sunt haemorrhagiae illae uterinae , quae  
 ob matricis cancerum , aut ab ulcere ejusdem par-  
 tis gignuntur . Dolores tunc adsunt gravissimi in  
 regione pubis cum distractione abdominis ; sanguif-  
 que jugiter cum foetidissimo ichore emittitur .

### L E U C O R R H A E A .

Ab immodico sanguinis fluxu , a colluvie serosa ,  
 a partu difficili , aut etiam a luis celticae contagio ,  
 uterus perpetuo mucosi aliquando tenuioris ex al-  
 bo virescentis , aut lutescentis humoris stillicidio  
 laborat . Morbus hic , qui leucorrhaea , sive Ca-  
 chexia uterina , aut fluor albus dicitur , saepe nul-

lum affert dolorem , saepius vero ardorem , incallescenciam , atque levem inflammationem in vagina efficit . In omnibus modo descriptis infirmitatibus , pulsus essentialiter mutantur . Semper enim inaequales sunt , ante menstruorum eruptionem , & ante abortum ; arteria dextra versus carpum aliquas exierit elevatas vehementes , & undosas pulsationes . Instante partu , aut abortu celerrimi , inaequales , atque undosi fiunt pulsus ; post partum inaequales , tardi , ac rari .

Haemorrhagiae symptomatae sunt Stomacace , Haematemesis , & Haematuria . Prima est fluxus sanguinis , e gingivis saepius foetidis putridisque . Exempla petuntur ex scorbuto , febribus , variolis malignis , & similibus . 2. est vomitus cruentus , sive sanguinis rejectio ex Oesophago , cum vomitorio conatu . Saepe tumores circa pylorum sanguinem continentes hac via repurgantur . Raro tamen ab hoc vomitu sanguineo aegri superstites evadunt . Haematuria denique est sanguinis fluidive rubri per vias urinarias emissio , de qua superius disputavimus .

#### ORDO V. PROFLUVIA.

Quintus ordo complectitur *Profluvia* , nempe *aegritudines febriles* , cum excretionem aliquam auctam , naturaliter non sanguineam , uti sunt Catarrhus , & Dyenteria .

#### C A T A R R H U S .

In catarrho deprehenditur febris saepe contagiosa ; muci ex glandulis membranae narium , faucium , vel bronchiorum , excretio aucta ; saltem hujus excretionis molimina . Nomine catharri intel-



telliguntur etiam Coryza, Rheuma, & Tuffis catharralis, seu Rheumatica. Symptomata sunt Raucedo, Raucitas, Gravedo. Multis causis originem debet, australi nempe tempestate, ventisque Borealibus, laevissimis quamvis perfrigerationibus, dum fervida viget aestas, vehementioribus post prandium, aut caenam exercitationibus, & perturbationibus animi. Cohibita enim sensibili, aut insensibili perspiratione; praesertim illa, quae abundanter a pedibus exhalat, statim corpus irregularibus rigoribus perfrigeratur; excrementitiis lymphae particulis caput obruitur, larynx frigoris actione contrahitur, & totus exarescit. Cutis aspera, rugosaque evadit, unguis lividi apparent; atque in profunda inspiratione molestiae sensus animadvertitur. Hinc oritur febris, quae suppurationem, id est morbificae materiae coctionem procurat. Pulsus externi, primo duri & irritati, postea vehementiores & undosi, modo sudorem criticum modo judicatoriam per nares, aut tracheam evacuationem praenunciant. Urinae primis temporibus crudae, decolores, nulloque sedimento saturae, tertio die rufescentem colorem, ac simul nubeculam albam, aut rubram acquirunt; quod quidem pro celeris coctionis signo haberi debet. In principio Coryzae, & Rheumaticae pulmonum aegritudinis, pulsus semper fiunt irritati; postmodum molliores facti crifim salutarem afferunt. Coryzae rursus, aut Tuffis causa primo tenuissima est, & acerrima lymphae, quae aquae simillima, involuntarie e naribus stillat. Tuffis initio sicca; ac diuturna, materiam lymphae densiori, & gelatinosae similem educit. Separatione dein, ac coctione absoluta, mucus e naribus puri simillimus, & substantia ex albo lutea per anacatharsim emittitur.

DY-

In Dysenteria demum adnotatur pyrexia contagiosa: dejectiones sunt frequentes, torminosae, mucosae, vel sanguinolentae cum tenesmo. Ut plurimum a simplici alui fluxu, dum corruptio humorum augetur, acrimonia vehementi tenuior intestinorum membrana innumeris sanguineis vasis adpersa laceratur, & sanguinolentas mucosae, ac dolentissimas evacuationes reddit. Non semper febris Dysenteriam comitatur, attamen pulsus sunt duri, valde contracti, & vibrantes, ac dexter parvus tenuis, & rigidus esse solet, quia aegri in genere nausea, vomitu spontaneo, oris amarore, & lingua sordida laborant; arteria vero sinistra in medio elevatur, durefcit, & inaequalis redditur, ac versus cubitum adeo deprimitur, ut aliquando etiam omnino evanescat. Dysenterici saepenumero ictero laborant, atque quas cum summa molestia ejiciunt urinas, croceas esse observamus.

#### C L A S S I S II. N E U R O S E S .

In secunda Classe systematis Culleniani agitur de morbis nervorum, qui in universum distinguuntur, quia sensus & motus sunt laesi, sine pyrexia, & sine morbo locali.

#### O R D O I. C O M A T A .

Primus ordo spectat ad Comata, sive soporosos affectus, in quibus motus voluntarii sunt imminuti, cum sopore sive sensuum feriatiōne. Hoc igitur ordine continentur Adynatiae, nervorum resolutiones, & motuum vitalium defectus.

APO-

## A P O P L E X I A .

Primum genus est apoplexia, *in qua motus voluntarii fere omnes imminuti sunt, cum sopore plus minus profundo. Aeger, vel statim quasi fulmine ictus concidit, vel capitis primum dolore, brachii alterius, aut pedis torpore & imbecillitate afficitur, & denique in apoplexiam incidit. Facies aut simpliciter tumida, aut livida, & purpurea redditur; respiratio profunde laboriosa, & rara, etiam cum stertore perficitur, pulsus semper tardi capitales, magni & duri in sanguinea, parvi, & interiores contra sunt in apoplexia serosa, sive lymphatica. Differentia haec inter apoplexiam serosam, & lymphaticam desumitur non solum a pulsibus, sed etiam pendet a corporis habitu, morbisque praegressis.*

## P A R A L Y S I S .

Paralysis sive resolutio fit, *cum motus voluntarii nonnulli tantum imminuuntur, saepe cum sopore. Hoc nomine designantur Hemiplegia, Paraplexia, Paraplegia, atonia; tremor; aliaeque varietates, quae a cl. Sauvages fusius accuratiusque enumerantur. Paralysis dici merito potest particularis apoplexia, quae quoniam partes externas, atque extra caput positas occupat; longiorem minusque periculosum morbum constituit. Ab apoplexia, internarum sensationum integritate restituta, oriri solet brachii, artuum inferiorum, aut unius tantum lateris resolutio, quae Hemiplegia nuncupatur. Contra vero ab alicujus partis resolutione saepissime vehemens nascitur apoplexia. Verum non semper Paralysis funestus est affectus, quandoquidem non semper ab interna causa motum al-*  
cujus

cujus partis imminuente ortum ducit. Etenim resolutiones passim eveniunt ab ictu vehementi, pressione valida, praesertim in dorso, nervisque a medulla spinali ad artus inferiores productis. Pars, quae resolutione afficitur saepe & frigida, & livida apparet, ut plurimum motu, rarius sensu etiam privatur: pulsus quoque naturam causae, & sedis sequuntur; nam si in capite haeret morbi causa, capitales erunt; si ob localem laesionem in spina factam nascitur affectus, pulsus erunt parvi, tardi, & omnino inferiores.

#### C A T A L E P S I S .

*In Catalepsi cum sopore, membra situm, qui forte fuerat servant, externa tamen vi quodammodo mobilia sunt: Affectus cerebri spasmocico - extaticus, ab Hoffmanno, & Ecstasis proprie a Sauvagesio appellatur. Essentialis aliquando est morbus, plurimumque ab animi gravissimo aliquo pathemate oritur. Saepe enim in temperamentis maxima irritabilitate, acutissimoque mentis exercitio praeditis, tanta in aliqua summi momenti cogitatione persequenda fluidi nervei copia requiritur, ut influxus versus reliquas corporis praecipueque externas sedes magnopere imminuatur; unde catalepsis exoritur. Catalepsis symptomatrica est coma cum omnibus varietatibus suis. Coma vero sive agrypnon, Coma Graecorum, juxta Sauvagesium est, *apparens sopor cum pervigilio reali, vel sopor levis, e quo aegri facile excitantur, cum delirio comitante.* Ejusdem indolis est Lethargus, sive status soporosus facile excitabilis, eum summo imaginationis, & memoriae torpore ac febre. Carus denique ab auctoribus dicitur sopor profundus sine stertore. Soporosis hisce affectionibus vexantur*

tur aegri, dum maligna febre tenentur, aut essentiali aliqua inflammatioe laborant. Puerorum, & puerperarum morbi acuti, & inflammatorii, a deliriis & comatis aliqua specie, nunquam fere sejunguntur, fortasse ob summam nervosi systematis sensibilitatem. Inter variolarum malignarum accidentia, semper adest, aut coma vigil, aut lethargus; neque inflammatio hepatis sine soporoso aliquo affectu evenire solet.

## O R D O II. A D Y N A M I A E .

*Motus involuntarii, sive vitales, sive naturales imminuti.* Nascitur inde aut imbecillitas, aut abolitio alicujus essentialis actionis, adynamia enim proprie impotentiam significat.

## S Y N C O P E .

Primo recensetur loco Syncope, *sive motus cordis imminutus, vel aliquamdiu quiescens.* In Syncope perfrigeratur universum corpus, facies pallescit, obnubilantur oculi, & tremores conquassationesque artuum eveniunt; interni externique sensus amittuntur, cessat respiratio, pulsusque, aut omnino evanescent, aut profundi sunt, & admodum interni. Sed redeunte motu cordis, statim pulsus fiunt celerrimi, frequentissimi & inaequales, atque tunc aegri uberrimo sudore disflunt. Innumerae profecto sunt causae, quae animi deliquium afferre valent. Internarum primo partium tumores aut in pectore, aut in abdomine, positi, animi defectum gignunt. Exempli gratia aneurysmata magnae arteriae, vomica pulmonalis, copiosissima in thorace aqua, hepatis suppuratio, ventriculi tumor, & similia lipothymiam saepissime gi-

gignunt. Occasiones externae, uti subiti pavores huic aegritudini anſam praebent. Internorum vaſorum rupturae, ſacci aneurysmatici lacerationes, inteſtinorum ante, & poſt valde profuſam excrementorum evacuationem irritatio, & ſimilia, animi deliquium inducunt. Idem proſecto accidit poſt incoercibiles hæmorrhagias, poſt copioſiſſimas puris effuſiones; idem ſi aqua in aſcítico mediante Paracentefi aſſatim educitur. Syncope in frigido balneo corripimur, & Syncope extinguntur, qui ſubmerſi pereunt. Nam ſubita uberioris phlogiſti actione perit cordis irritabilitas? Aeris enim mephitici calor ſupra modum atmofphaerae calorem ſuperat. Vapore inteſtinali admodum a phlogiſto corrupto non ſolum animalia ſtatim occiduntur, ſed eodem momento, cordis irritabilitate integre privantur. Balneo frigido externus abſorbetur calor, pulſus vero interni fiunt, & non ſolum moleſtia in pectore, ſed palpitationis etiam in corde initia animadvertuntur. In ſyncope ſymptomata ſunt laſſitudo, & languor. Verum huiusmodi affectiones potius proximum animi deliquium prænunciant, nequeunt enim proprie lipothymiae nomine designari.

## D Y S P E P S I A.

*Dyspepſia, eſt ventriculi funcſio idiopathice turbata per anorexiam, nauſeam, vomitum, inflationem, ruſtum, ruminationem, cardialgiam, gaſtrodyniam, & alvum plerumque adſtrictam, indicata.* Conſtans in actione ventriculi, quo alimenta per gradus concoquuntur, perturbatio *Dyspepſia* dicitur; etenim paſſim ob aliarum partium morboſam conſtitutionem, & anorexiam & nauſeam & vomitum evenire videmus. Uberioribus,  
ac

ac valde aromaticis alimentis ventriculi fibrae debilitantur, nervorumque sensibilitas imminuitur. Humores coctioni inservientes, qui excessu, aut defectu peccant, ad vitiosam alkalescentiam perveniunt. Tumores & ulcera in stomacho, pyloro; affectio spasmodica, vermes fortasse, viscidorum humorum congestiones, Dyspepsiam Idiopathicam, proprie dictam constituunt. Verum multae etiam sunt vicinarum partium infirmitates, a quibus perennis dyspepsia exoritur. Magnae hepatis obstructions, quibus ventriculus obruitur, opprimiturque, nauseam vomitum, & similia afferunt. Uterus gravidus & voracitatem, & dyspepsiam gignit. Externi tumores stomachi regionem occupantes idem efficiunt. Attamen sympathice etiam perturbatur ventriculi actio, ubi capitis dolore, fractura cranii, aliisque appetitus depravatur. Rursum in acutorum morborum principiis, quamvis causa proxima a ventriculo remotissima sit, Dyspepsiam tamen cum vomitu, cardialgia aliisque signis characteristicis, observamus. Februm intermittentium primae exacerbationes; praesertim vero morbi cutanei in ipso limine ita distinguuntur. Variola, Rubeola, Erysipelas, fere semper hoc symptomate comitantur, causa vero morbosa verius corporis superficiem integre, aut saltem magna ex parte determinata, Dyspepsia statim evanescit. Praeter signa in definitione memorata, in ventriculi essentiali aliqua affectione facies pallescit, vires languent, urinae fere semper tenues sunt, & inconcoctae, lingua albo glutine undique obducitur, color subchlorus in oculis animadvertitur, salivatio perennis adest, extremarumque partium perfrigeratio observatur. Pulsus parvi inferiores sunt; arteria tamen dextra profunda parva, irritata, vibrans, stomachi praeternaturalem statum, ac tena-

naciffimae pituitae in ventriculo congeffionem, vomendique necéffitatem oftendit. Sentibilis deinde elevatio in media hujus arteriae parte vomitum in propinquo effe, aut jam eveniffe declarat. Pulsus finifter in parte posteriori valde depreffus, & fere evanefcens, praeternaturalem inteftinorum contractionem, & ficcitatem declarat.

#### H Y P O C O N D R I A S I S .

*Hypochondriafis eft Dyfpepfia, cum languore, torpore, metu, & moeftitia.* Morbus hypochondriacus, non folum a depravata digeffione, & moeftitia definiri debet, fiquidem adefl quoque infignis tenfio mufculorum abdominalium, pulfus funt irregulares, & ut plurimum vehementes, cordisque palpitationes frequenter eveniunt. Quemadmodum vero hypochondriafis accidit hominibus magna irritabilitate praeditis, atque illis praefertim, quorum animus gravi aliquo pathemate vexatur, facile imaginationem pervertit, ac perennem aerumnarum feriem perturbatae menti repraesentat. Tanta animi, ac conftans follicitudo, digeffionem pervertit, hinc defaedatus faciei color, atque ab adaucta partium irritabilitate irregularis oritur circulatio, unde pulfus fiunt duri, & irregulares in hoc morbo. Neque mirum fi obftructis majoribus organis in abdomine contentis circulatio thoracica augeatur, cum infigni vehementia, & faepe, qui hypochondriaci funt, & hydrofici, & aneurifmatici evadant. Denique cum hoc morbo conjungi faepiffime folet copiofus fanguinis haemorrhoidalis fluxus.

CHLO-



## CHLOROSIS.

*Chlorosis rursus est Dyspepsia, vel rei non esculentae desiderium; cutis pallor vel decoloratio; venae minus plenae; corporis tumor mollis; asthenia; palpitatio; menstruorum saepe retentio.* Definitio haec respicit non solum signa, quae morbum declarant, verumetiam ad causas dignoscendas nos quasi manuducit. Nequeunt vero haec exoriri mala, nisi ob nervorum admodum debilitatam actionem; etenim dum nervi languent, phlogisto, sive potius vitali calore spoliatus sanguis, calorem, motum, atque activitatem amittit; secundarii humores absorberi facile nequeunt, hinc nascitur corporis tumor mollis sive oedematosus. Nequit deinde sanguis effaetus & aquosus, omnibus fluidis debitam temperiem communicare; hinc modo spissitudo sequitur, quae obstructionum in variis organis fundamentum constituit, modo congestae, & stagnantes fluidorum particulae corrumpuntur, acerrimaeque factae, chronicam aegritudinem, acutam reddunt. Uterus in chloroticis mulieribus, aliquando statim tempore aut tenuem, aut obscurissimum emittit sanguinem; interdum vero, loco sanguineae evacuationis, viscerum humores, luteique coloris substantiae apparent. Exiles parvi, atque inferiores esse solent pulsus in chlorosi; sinistra praesertim arteria profundissima est, quia cretae, carbonum, cinerum ec. usu, intestina in summo irritationis statu versantur.

E

ORDO

Ordine tertio comprehenduntur Spasmi , id est morbi spasmodici & convulsivi , qui sunt *musculorum , vel fibrarum muscularium motus abnormes .* Hujusmodi in motu musculari defectus afficere solent functiones ,

---

## I. A N I M A L E S .

### T E T A N U S .

*Totius fere corporis rigor spasticus .* Ejus vero species sunt Opiithotonus , cum scilicet musculi ita afficiuntur , ut corpus versus posteriora incurvatur , & Episthotonus , cum ad anteriorem partem , spasmodice flectitur . Vario etiam gradu Tetanus differt ; siquidem aliquando sola adest cervicis spasmodica immobilitas , & mantibularum invincibilis contractio , cum linguae etiam versus posteriora retractione . Qui hoc morbo corripiuntur , sardonici risus specie tenentur , atque faciem habent rubicundam . Omnes fere aegrotantes genuino Tetano affecti , in prima septimana intereunt , adnotante Hippocrate . Multos in Tetanum incidisse vidimus , applicato inguinalibus glandulis caustico medicamento , in bubone venereo .

CON-

## CONVULSIO.

*Convulsio deinde in genere, est musculorum contractio clonica, abnormis, sine sopore.* Morbi convulsivi primarii frequentissimi sunt in mulieribus, quarum nervi valde mobiles, inconspicua, & imperceptibili fere causa perturbati, motus maxime irregulares in musculis excitant, saepe absque ulla sensibili mutatione in pulsu, & absque sopore; quamvis a convulsione saepe etiam sopor oriatur. Convulsio rursus non essentialis affectio, sed tantum gravissimorum morborum symptoma est. Variolae malignae, perniciosae febres, quae pueris, atque puerperis superveniunt, inflammationes, aut in capite, aut in visceribus praesertim abdominalibus, si cum convulsionibus conjunguntur, malum; causae enim morbificae summam activitatem ostendunt. Semper vero magis pertimescendae, cum in diebus judicatoriis eveniunt, tunc enim, morbi vires adauctae, debilissimam jam vitae facultatem facillime superant. Sed dum convulsiones symptomatae vigent, pulsus sunt semper consulendi; etenim si duri, vehementes, acutique sunt, omnique carent suspecta celeritate, tunc minime desperandum; attamen in convulsionibus si pulsus interni, parvi, admodum inaequales, celerrimi, ac frequentissimi sunt, atque tremoris sive oscillationis speciem excitant, tunc mors in propinquo est.

## EPILEPSIA.

*Epilepsia est musculorum convulsio cum sopore; quae oritur a morbosa mutatione, vel in capite, vel in alia parte a nervorum principio diffusa.* Ideo interdum Idiopathica, interdum sympathica dicitur. Juvenum corpora, saepius hoc morbo infestantur,

quia in tenera adhuc aetate, solida musculoſa, & nervi majorem poſſident irritabilitatem; hinc frequenter poſt pubertatem homines, & mulieres poſt menſtruorum eruptionem epilepſia liberantur; ruſſam facilius ſanatur Sympathica, quam Idiopathica, quia cauſa ventriculo, hepatis, aut inteſtiniſ haerens facilius artis opera, evacuantibus praefertim, & attenuantibus debellatur. Verum affecto, & organica labe vexato nervorum principio, qui inde ſequuntur morbi periculoſiſſimi ſunt. Ante paroxyſmum aegri pallidum, aut icterico proximam acquirunt colorem; digeſtio perturbatur, alvus cohibetur, oculi cum certa irregularitate objecta intuentur, pulſus ſunt parvi inaequales. Tempore paroxyſmi, praeter ſoporem, oris ſpumam, nonnullarum partium rigiditatem, urinas aquoſas tenuiſſimas, reſpirationis raritatem, pulſus elevantur, & quamvis tardi, tamen evoluti ſunt. Evaneſcente paroxyſmo accidunt pandiculationes, laſtitudines; pulſus tardiſſime moventur, ſed quandam undolentiam nanciſcuntur.

---

## II. V I T A L E S.

Nervi, qui functionibus vitalibus perficiendis ſunt dicati, a morboſis cauſis irregulariter jaſtati, varios gignunt praeternaturales effectus. Et primum fit Palpitatio.

### P A L P I T A T I O.

*Motus cordis vehemens & abnormis, ortus a quantitate, qualitate, & velocitate ſanguinis, a calore adaucto, a cordis ipſius debilitate, a vicinarum partium, aut organorum obſtuctione, unde*

*de palpitatio, a pressione.* Animi etiam vehementiora pathemata, cordis praeternaturalem palpitationem generant. Affectio haec diuturnior, cordis ipsius, aut magnarum arteriarum dilatationem adeste ostendit. Pulsus sinister valde inaequalis, durus, vibrans, in parte anteriori obscurus, deficiens, atque internus est. Cordis vero palpitatio proprie dicta, aut accidentaliter, nervorum scilicet vitio, repletionem ventriculi, immoderata exercitatione anxietate mentis, excitata, aut ab organica essentiali affectione genita, numquam constanter in aegroto deprehenditur, sed certis quibusdam occasionibus in motum cietur.

## A S T H M A .

Secundum tenet locum Asthma. *Spirandi nempe difficultas, cum angustiae in pectore sensu, per intervalla subiens.* Agitur hic de asthma convulsivo, in quo adest spiritus difficilis cum tussi, sine ulla crassioris materiae expectoratione. Non raro in hypocondriacis, & mulieribus hysteris, per consensum observatur. Oritur passim ab humoribus, qui relictis sedibus externis interiora petunt, uti podagra, falsedo, lac a mammis exturbatus, & similia. A cohibita frigoris actione, insensibili perspiratione, pungentissimis humoribus pulmones gravantur. Meditatione diu protracta non solum imminuitur perspiratio cutanea, sed ob longas hoc tempore inspirationes aestuosus fervidusque sanguis longius in pulmonibus immoratur, decompositi, ac phlogificati aeris magna copia retinetur. Hisce innumerisque aliis ejusdem naturae causis asthma originem debet. Pulsus in hoc morbo acuti, duri, & inaequales sunt; praesertim vero arteriae dextrae pars media durior, in parvum

arcum elevatur. Lingua versus latera rubet, caeterum tartaro crassiusculo obducitur. Urinae tenues, aquosae & crudae. Si ab asthma convulsivo, pedum, aut artuum superiorum oedema efformatur, tunc de vomica pulmonali, aut hydropse thoracis dubitandum.

## P E R T U S S I S.

Tertio loco collocatur Pertussis, *nempe morbus contagiosus; tussis convulsiva strangulans, cum inspiratione sonora, iterata; saepe vomitus*. Tussis haec convulsiva pueris, ut plurimum infesta, accidit acriorum fluidorum activitate, quae semper in tenellis corporibus summa mobilitate praeditis major est. Cruditates, congestiones tenacioris viscidiorisque lymphae, in primis viis, efficacissimam huic morbo causam suppeditant. Post diurnam tussim convulsivam nocturno tempore molestissimam, & post prandium vomitum afferens, ob terribiles admodum concussiones, multis elapsis septimanis desinente tussi inani lymphae concoctae, albicantis, crassae expectoratio supervenit. Pueri facilius sine ulla essentiali noxa hunc morbum sustinent, quia teneris, flexilibus mollioribusque coagmentantur partibus.

## III. N A T U R A L E S.

Inter morbos convulsivos functionum naturalium, recensetur primo loco Pyrosis.

PY-

## P Y R O S I S .

*Epigastrii dolor urens , cum copia humoris aquei , plerumque insipidi , aliquando acris , eructata . Aegritudo haec , quae a Sauvagesio Cardialgia sputatoria appellatur , vel a noxiis alimentis , venenisque assumptis , vel a salutarium quoque ciborum degeneratione oritur . Acri enim in ventriculo existente , necesse est , ut sensilissima haec pars , dolore acuto , molestissimoque calore afficiatur ; alkalinae enim acerrimaeque particulae , causticorum urentem facultatem omnino aemulantur . Pyrosis vero fere semper non ab acida , sed ab alkalina substantia gignitur .*

## C O L I C A .

Colica deinde est , *Dolor abdominis , praecipue circa umbilicum torquens ; vomitus ; alvus adstricta .* Hoc titulo comprehenduntur etiam Ileus , & passio Iliaca ; qui quidem affectus , modo absolute convulsivi sunt , modo a materiali aliqua causa progignuntur . Colica vero omnino convulsiva , in qua flatibus intestina , cum vehementi cruciatu distrahuntur , a vapore faetido , sive pungentissimo aere intestinali generatur . Itaque , & ipsa colica convulsiva corruptam exhalationem pro causa agnoscit . In gravissimo hoc morbo faciei pallor , cum aliqua linguae ariditate , hypochondriorum molesta elevatio , alui adstrictio cum vomitu , spasmi intensitatem declarant . Urinae in colica tenues , tempore atrocioris doloris , aegritudinis indolem convulsivam ostendunt . Denique periculosissima est permanens colica , in qua evacuationes alvinae frustra expectantur ; siquidem humorum degeneraciones , vitiis organicis fundamen-

tum praebent ; unde inflammationes , & gangraenae intestinis superveniunt . Ideo utplurimum post mortem intestina necrosi affecta reperiuntur , ob celerrimam omnium fluidorum abdominalium corruptionem . Pulsus inferiores semper parvi , atque irritati sunt , arteriaeque sinistrae pulsus verius cubitum profundus , ac quasi deficiens de intestinorum irritatione , atque alui silentio nos admonet .

## C H O L E R A .

*Cholera est humoris plerumque biliosi vomitus , ejusdem simul dejectio frequens , anxietas ; tormina ; surarum spasmodica . Potest a ciborum copiosa ingurgitatione , quemadmodum fit ab acrioribus etiam cibus , a Cicuta aquatica , a veneno fungorum , ab immoderato tenuiorum carniū usu saepissime cholera oriri . Prohibita insensibilis perspiratio stomachum primario afficit , unde & alui fluxus tantummodo , & non raro cholera exurgit . Cholera in principiis eveniens morbum mitissimum reddit ; in progressu perfectam judicationem affert ; immo chronicorum etiam morborum curationes cholera oborta eveniunt . Nuperrime observavimus hominem splenicum ascite vexatum , cholera naturaliter superveniente , servatum .*



DIAR-



## D I A R R H A E A .

*Diarrhaea est dejectio frequens ; morbus non contagiosus ; pyrexia nulla primaria . Hujus generis species sunt , Hepatirrhoea , passio Coeliaca , & Lienteria . Sed alui profluvium , aut est aegritudo per se , sive essentialis , vel symptomatis vices gerit ; attamen semper a generali corruptione , & acrimonia humorum , ab abscessu in aliqua praesertim interna corporis sede , a perspirabili imminuto , a vehementi pavore , aliisque innumeris causis ortum ducit . A fluxus diuturnitate tabes nascitur ; atque in Diarrhaea , absque ullo peculiari organi vitio , postremis temporibus , cum tussi , ac linguae rubore , febris hectica apparet . Hoc etiam in morbo , difflata pinguedine , non solum macies , sed asperitas quoque magna , in corporis superficie deprehenditur . Pulsus sinister versus cubitum deficiens , per plures ante mortem dies in carpo quoque evanescit , alui fluxus symptomaticus , interdum in acutarum febrium initio , interdum in diebus judicatoriis accidit . Praematura diarrhaea in acutis periculosa , quamvis aliquando in Pleuritide sanitatem attulisse nostris observationibus deprehendimus . Diarrhaea biliosa quinto , septimo , nono , undecimo , aut decimoquarto , cum aegrotantis utilitate eveniens , integre morbum solvit . Alui fluxus immodicus in puerperis valde periculosus , si cum febre conjungitur , maligni morbi symptoma est ; linguam aridam , & in extremitate rubram efficit , omniaque inflammationis acrimoniae signa excitat .*

DIA-

## D I A B E T E S .

Diabetes, est urinae praeternaturalis copia immo-  
dica, profuso chronica. Ab hepatis plerumque,  
& aliorum viscerum obstructione, ac depravata  
bilis, & ventriculi constitutione, fit urinae pro-  
fluvium, unde lotium in diabete est omnino in-  
concoctum. Facies pallefcit, & corporis summa  
macies apparet; urinae etenim acrimonia nutritias  
particulas diffolvit, & extra corpus evacuat.

## H Y S T E R I A .

Ventris murmura; sensus globi in abdomi-  
ne se voluentis, ad ventriculum, & fauces ascen-  
dentis, ibique strangulantis; sopor, convulsio-  
nes; urinae limpidae copia profusa; animus, nec  
sponte varius & mutabilis. Succi nervei summa  
activitate gignitur, fortasse sanguinis uterini sta-  
gnatione, nervis viscerum naturalium affectis, ac  
convulsione in musculis oborta, superior circulatio  
retardatur. Sanguinis in capite copia praeternatu-  
ralis, modo soporem, modo delirium, modo ri-  
sum, aut varios perturbatae imaginationis, & ir-  
regularis voluntatis effectus gignit. Color plerum-  
que pallidus, pulsus, parvi, duri, profundi, po-  
tius tardi, & acuti, dum mulier, aut magnis de-  
tinetur convulsionibus, aut sopore opprimitur. Non  
raro etiam mulieres quasi syncope lethali correptae  
absque pulsu in carpo, & respiratione apparenter  
deficiente per longum tempus jacent. Paroxysmi  
exitum excipit lassitudo summa, relaxatio, sudor,  
fitis, faciei rubor, pulsuum vehementia, inaequa-  
litasque undosa; haec autem signa finem convul-  
sionum hystericarum jam appropinquare declarant.

HY-

## H Y D R O P H O B I A .

*Potionis cujuslibet, ut convulsionem pharyngis dolentem cientis, fastidium, & horror; plerumque a morfu animalis rabidi.* Dirus profecto morbus, in quo suffocationis ab omni assumpto liquore horror, imaginationem quoque mirifice afficit. Aliquando post paucos dies, aliquando post plures menses veneni effectus declarantur, quia juxta constitutionis diversitatem, atque etiam juxta rabidi animalis statum, variamque anni tempestatem, modo celerius, modo tardius veneni moleculae multiplicantur. Etenim susceptum morfu venenosum feminium, temporis progressu particulas acerrimas, ac tantopere volatiles sanguini communicat, ut non solum periculosissima in pharynge suffocatio nascatur, verum etiam omnia insanabilis delirii signa appareant. Neque hydrophobiae accidentia ab effectu multorum venenorum differre videntur, qui enim viperæ veneno inficiuntur somnolentia laborant, qui cicuta aquatica saturantur, atrocissimas convulsiones sustinent. Opium somnum inducit, minime vero tranquillum, sed difformibus apparentiis perturbatum. Si denique considerantur contagiosorum morborum symptomata, quae fere semper a nervorum noxa pendent, magnam inter venenorum actionem & horum morborum causas, analogiam intercedere observabitur.

## O R D O I V . V E S A N I A E .

*Mentis functiones laesae sine pyrexia vel comate.* Vesaniae five morbi mentales chronici, qui hoc ordine complectuntur, saepe acutarum mentis aegritudinum modo exacerbantur, & tunc primo febrem

brem , deinde , ut plurimum soporem afferunt ,  
In univcrsum vero febre , & sopore omnino ca-  
rent .

## A M E N T I A .

*Mentis functionum imbecillitas.* Haec affectio appellatur etiam morosis , amnesia , oblivio , stupiditas , fatuitas , memoriae debilitas . Sunt , qui fatuitatem in ipsa tenerrima aetate ostendunt , sunt , & alii , qui in mentis imbecillitatem incidunt post pavorem , percussionem in capite , febrem acutam comatosam , vehementiorem animi passionem , aut profundam meditationem . In amentia primario deficit memoria , constansque contra adest rerum nonnullarum , ac semper inutitium contemplatio . Memoriae defectu reliquae languent mentis operationes , nam si quae sensuum ministerio nobis se se offerunt objecta , nullam sui permanentem ideam menti communicant , nulla dari poterit iudicii perfectio ; parvi tunc momenti imagines , & praesertim illae , quae menti inhaerent ante fatuitatem , intactae servantur , & inordinate ab inordinato iudicio disponuntur , ac constanter proponuntur .

## M E L A N C H O L I A .

*Insania partialis.* Dum scilicet de singulari aliquo objecto , de peculiari doctrina , aut animi pathemate aliquo , admodum solliciti , diuturna ejusdem rei imaginatione detenti , omnia alia negotia , aut prorsus negligimus , aut imperfecte , & irregulariter tractamus . Eodem genere comprehenduntur delirium melancholicum , Daemonomania , Erotomania , Nostalgia .

MA-

## M A N I A .

*Est insania universalis , cum delirio , & morbo diuturno , ferocia , corporisque terribili jactatione conjuncta .* Ad maniam pertinent Satyriasis , delirium maniacum , & Nymphomania .

## S O M N I U M .

*In somno imaginatio vehementior , & molesta .* Ubi-  
 cumque tempore somni terribiles menti ima-  
 gines , atque modo informes species , modo ab  
 omni probabilitate aliena accidentia , animae re-  
 praesentantur , procul dubio , de valetudinis infir-  
 mitate aliqua agitur . Post crapulam saepe som-  
 niamus . Gravis ille , & exagitatione corporis in-  
 voluntaria sociatus somnus , dum imminenti aliquo  
 periculo vexamur , aut acutissimo animi pathema-  
 te perturbamur , innumeris repletur foedis imagi-  
 nibus . Affectiones praecipuae , quietem somni  
 perturbantes sunt Somnambulismus , sive Noctam-  
 bulatio , Incubus , & similia . Nocturnam ambu-  
 lationem tempore somni suscipiunt nonnulli , qui ob  
 summam actionis alicujus consuetudinem , si dormien-  
 do se peculiari illi officio vacare somniantur , affue-  
 tes etiam corporis motus absolvunt . Incubus ac-  
 cidit si in situ horizontali dormiunt , homines ad-  
 modum plethorici , quorum sanguis per vasa tho-  
 racis difficulter trajicitur ; tunc maximam ponderis  
 in pectore sensationem persentire videntur , &  
 clamare , ac valde difficilem respirationem inchoa-  
 re nituntur . Inter vesanias symptomáticas receñ-  
 sentur Paraphrosine , & Delirium ; quia in acu-  
 tis febribus interdum ob propriam , interdum ob  
 sympathicam affectionem rationis , & voluntatis  
 integritas evertitur . De Delirio Symptomático mul-

multa variis in locis , memoravimus , multaque depromi possunt a libris Hippocraticis .

### CLASSIS III. CACHEXIAE.

*Totius , vel magnae partis corporis habitus depravatus , sine pyrexia primaria , vel neurosi .*

#### ORDO I. MARCORES.

Macies morbique omnes , a quibus in toto corpore ficcitas , extenuatio , ac pinguedinis imminutio gignitur , hoc ordine complectuntur .

#### T A B E S .

Tabes primo est marcor ; *asthenia* ; cum *pyrexia hectica* . Quamvis nulla adsit apparens in pulmone noxa , deficiente tussi , sanguinis sputo , & similibus , attamen corpus contabescit ; horis vespertinis febricula cum ingenti calore accenditur , & mane saepius sudore corpus madescit . Maxima celeritas , durities , atque inaequalitas in pulsu , summaque ficcitas in abdomine adest . Urinae facturo , ac pene rufo colore tinguntur . Morbus hic ab humorum vitio ortus , in affectionem aliquam organicam praesertim pectoris definit .

#### A T R O P H I A .

*Marcor & asthenia , sine pyrexia hectica ; magnam cum tabe affinitatem habet , at postremo vitae tempore febrem quoque hecticam habet adjunctam .*

ORDO

## ORDO II. INTUMESCENTIAE .

*Totum , vel magna corporis pars extrorsum tumens .*

## I. A D I P O S A E .

## P O Y S A R C I A .

*Corporis pinguedinosa intumescencia molesta .* Praeter inignem ; quam valde obesi homines perferunt molestiam , gravissimis etiam subjiciuntur morbis , ob exercitationum defectum , ac variarum actionum imbecillitatem . Hinc succorum inertium copia congestionibus , & stagnationibus in capite , pectore praesertim , & abdomine originem praebet . Ob hanc rationem polyfarcia asthma , hydropem , calculum , nephritidem , arthritidem , podagram , apoplexiam , & alia ejusdem indolis genere solet .

## II. F L A T U O S A E .

## P N E U M A T O S I S .

*Corporis intumescencia tensa , elastica , sub manu crepitans .* Appellatur quoque Emphysema , quia ab aeris praeternaturali abundantia generari existimatur . Post magni momenti vulnera thoracica , post validas contusiones , tumores sive elevationes ab aeris collectione efformantur , & totam cutem spatiaque cellulosa complent .

TYM-

## T Y M P A N I T E S .

*Abdominis intumescencia tensa, elastica, sonora; alvus adstricta; caeterarum partium macies; rejecto sursum, vel deorsum aere levamen.* Meteorismus vel species, vel omnino symptomata tympanites est. Statim, ac in corpore languido debilique, admodum corruptus, & acerrimus profecto aer, a putridis generatur alimentis, insigniter distrahuntur, & elevantur intestina, quae aere ipso irritata alui adstrictionem gignunt. Tympanitidis igitur sedes in ipsa intestinorum cavitate collocanda; quamvis facile etiam corruptus aer possit spatia abdominalia libera occupare. Meteorismus acutam tympanitidem per omnia refert; in putridis enim morbis, hypocondria elevari, distendique incipiunt, sonitum percussa edunt; alui adstrictio permanens adest; neque tumor saepe enormis abdominis evanescit, nisi multo aere per inferiora una cum corruptis, foetidisque substantiis evacuato. Meteorismus verus, numquam in principiis acutorum, sed in progressu observatur, maximae etenim humorum corruptioni supervenit; quod si in principiis aliqua in abdomine elevatio deprehendatur; haec simplici aliquando turgescenciae non criticae, tribuenda est.

## P H Y S O M E T R A .

*Tumor levis elasticus, in hypogastrio, figuram, & sedem uteri referens.* Peculiaris haec regionis uterinae intumescencia a Vogelio appellatur Hysterophyse, quae saepissime cum graviditate confunditur, ac ob mensium defectum mulieres hoc morbo detentae in proveciori aetate, se gravidas esse pro certo habent. Potest uterus variis sca-

tens



tens vitiosis concretionibus , aut convulsiva aegritudine affectus , in majorem excrescere molesm .

### III. AQUOSAE five HYDROPES .

#### A N A S A R C A .

*Corporis intumescencia mollis inelastica .* Morbus hic universam corporis superficiem occupans , plerumque a causa generali , nempe debilitate solidorum , & humorum attenuatione , aqueique principii redundantia ortum ducit . Morbi acuti imperfecte judicati , inexercitatio in pituitoso corporis habitu ; potionum tepidarum nimia ingurgitatio , sanguinis fluxus pertinax , diarrhaea diuturna , urinae , vel haemorrhoidum profluvium , balnea calidiuscula inopportune administrata , & alia hujusmodi , verum anasarca efficiunt . Etenim si corpus aqua impletur ob peculiarem in aliquo organo laesionem , inaequalis primum modo in hoc , modo in illo loco tumor oedematosus apparet . Sic ab hepatis , aut lienis tumore ascites primo , deinde pedum oedema exurgit . In hydrope pectoris facies primum inflatur ; in Phthisi pulmonali , brachii dextri oedema saepe ante omnia observatur . At in Anasarca spatia cellulosa fluido interstitiali ab arteriis exhalante replentur , ac sensim sensimque distrahuntur ; quia vasa lymphatica absorbentia , aut debilia , aut obstructa sunt , ideoque tenuem lympham sanguini communicare nequeunt . Stulta prorsus illorum sententia est , qui existimant in hac morbi specie , atque in quocumque hyprope , ubi ad certum intumescenciae gradum vasa lymphatica pervenerunt , tandem dirumpi , cum imminen-

F

ti

ti aegrotantium periculo. Nam vasa absorbentia in hydropicis penitus obliterantur, neque unquam aut turgida, aut disrupta in cadaveribus reperiuntur. Rursum intelligi juxta hanc doctrinam non potest, cur in ascite, dum aut dilatata, aut disrupta sunt vasa lymphatica abdominis, artus inferiores nullo ut plurimum turgeant oedemate, quamvis lymphatica abdominis cum artuum vasis lymphaticis omnia communicent. Recte tunc in inferioribus sedibus absorptio procedit, & aqua tantum in cavitate libera abdominis colligitur, in qua vasa absorbentia aut corrugata, aut debilia, aut obstructa sunt. Non adeo frequenter in praxi occurrit partis alicujus oedema a ruptura, sive laceratione vasorum lymphaticorum ortum. Annis superioribus, & per longum profecto tempus, in nostro Incurabilium Nosocomio decubuit miles consistentis aetatis validissimo sanguineoque, corporis habitu praeditus, qui praeter intumescentiam pedis, tibiae, femorisque dextri, cum ponderis molestiaeque sensu, atque incedendi difficultate, optima fruebatur valetudine, neque ullam in reliquis actionibus perturbationem experiebatur. Causam oedematis fuisse procul dubio elevationem immensi ponderis existimavimus, eodem enim nisus momento, dolorem se in inguine dextro animadvertisse narrabat; illo nempe in loco, in quo lymphatica inferiora in majores truncos collecta ad glandulas inguinales recta feruntur. Omnia praesidia in hoc casu frustra adhibuimus. Causae, quae ascitem efficiunt in inferioribus explicabimus. In anasarca color pallidus etiam ad sublutem sive chlorum vergit. Cutis plurimis in locis, ob magnam distractionem a tenui aqua factam pellucida, ac splendens redditur. Urinae parcius emittuntur, & plerumque rufescunt, attamen nullo donantur sedimento. Lin-  
gua

gua quamvis humida, apicem fere semper rubrum habet. Morbo ad summum provento, testiculi inflati, scroto fere livido cinguntur; tussis cum linguae ariditate observatur, & levis genarum rubor exurgit. Pulsus primis temporibus parvi, tardi, inferiores, obtusi, quia arteria undique aquoso latice cingitur; febricula cum urenti calore & siti intolerabili, in ultimo stadio aegrum perturbant. Respiratio difficillima evadit, quia pulmones etiam & pericardium aqua abundant. Saepe ascitici a cruribus summopere inflatis aquam calidissimam exsudare solent; saepe molestissimis ulceribus in tibiis vexantur. Hoc cum primum ob lymphae hydropticae qualitatem corrosivam accidit, de magna ac immediata utilitate aegri gloriantur. Verum ulcera haec quae ab acerrimis humoribus ortum ducunt, brevi sordida facta, mortificationi irreparabili viam sternunt. Denique non solum in anasarca, verum in omni hydrope, ac praesertim in hydrope thoracis proprie dicto, si pulsus profundi atque interni, respiratio difficilis, lingua arida, & quod caput est, lividae in pedibus irregularis figurae maculae deprehenduntur, desperatum. Haec post numerosas diligenter adnotatas observationes didici.

## H Y D R O C E P H A L U S .

*Capitis intumescencia mollis, inelastica, hiantibus cranii suturis.* Immensam saepe molem caput acquirat, dum reliquae partes fere contabescunt. Frequenter accidit pueris scorbutico corporis habitu praeditis, in quibus ossa cranii juxta molliora & debiliores suturarum nexus, vaporem cranii atque exhalationes aquosas intra cavitatem capitis continere nequeunt. In hydrocephali incremento

ob cerebri, & nervorum compressionem, externi internique sensus magnopere labetantur atque imminuuntur. Fatuitas, amentia, omniumque actionum languor deprehenditur, ac resolutio artuum frequenter accidit. Morsus itaque est fere semper lethalis.

#### H Y D R O R A C H I T I S .

Spinola Linnaei, sive Spina bifida Vogelii; est Tumor supra vertebrae lumborum mollis exiguus, hiantibus vertebrae.

#### H Y D R O T H O R A X .

Dyspnoea; faciei pallor; pedum oedemata; urinae parca; decubitus difficilis; subita & sponte ex somno cum palpitatione excitatio; aqua in pectore fluctuans. Signa haec non solum adiunt, cum thorax aqua repletur, sed etiam observantur; cum pulmones tenacissimo opprimuntur glutine, aut tuberculis scatent. Et tunc adnotantur & alia accidentia: Tussis primo sicca, deinde humida, aut lympham glutinosam aut purulentam substantiam educit. Manus constanter frigidae sunt. Urinae parcae croceo sive rufo colore saturantur, nullam tamen nubeculam, ac nullum sedimentum ostendunt. Lingua tenui albo humidoque involucre tegitur. Pulvis dexter omnino evanescit, quemadmodum in omnibus gravissimis pulmonum affectibus; sinister vero profundus, valde inaequalis & intermittens est. Pedum intumescencia crescit, & tandem anasarca declaratur.

ASCI-

## ASCITES.

Hoc genere comprehenduntur etiam *Exomphalos*, & *Hydromphalos*; est autem *Ascites* abdominis tumor aequalis; fluctuantis intus aquae perceptio; urina parca; superiorum partium macies. Multa ad hunc morbum pertinentia in superioribus exposuimus. Ascites fere semper a viscerum abdominalium praecipuo & peculiari vitio, tumore scilicet, aut obstructione gignitur. Ab Hepatis aut splenis intumescencia, & ab uteri functionibus perturbatis in mulieribus, fit ascites. Nil mirum si asciticus haemorrhagia interdum a dextra, interdum vero a sinistra, aut ab utraque nare afficiatur. Hoc enim frequenter accidit ob simplicem hepatis aut splenis elevationem, uti ex Hippocrate discimus. Immo etiam ascitici & sanguinis sputo, & fluxu haemorrhoidali corripuntur. Haec enim symptomata vel a vasorum axillarum compressione, aut ab angustia thoracis, unde sanguis in vasorum superiorum dilatata capacitate diutius moratur, eveniunt, vel compressis ob hepatis tumorem vasis haemorrhoidalibus. Facies asciticorum sicca, rugis, extrema macie & chloro colore distinguitur. Pulsus plerumque inferiores parvi scilicet, debiles ac inaequales sunt; attamen arteria sinistra in cubito elevatur, cum quadam vehementia, ictusque efficit tardos ac raros, si a splenis obstructione hydrops nascitur. Contra in parte anteriori, nempe versus carpum arteria aut omnino evanescit, aut pulsationes habet valde profundas, obscuras, & irregulares, quando ascites a vitio hepatis pendet.

*Hypogastrii in mulieribus paulatim crescens tumor, uteri figuram referens, pressui cedens fluctuansve; citra ischuriam & graviditatem.* Hoc nomine appellatur hydrops uteri, non adeo communis morbus, & plerumque a mensium defectu ortus, in phlegmaticis mulieribus; dum sola uteri cavitas, atque fibrarum interstitia, ac vicinae partes simplici compressione laborantes, proprium absolvere munus nequeunt. Nil mirum si in hac aegritudine molesta oritur dolorosi ponderis sensatio in regione lumbali, ac si urina aliquando cum difficultate emittitur, aut ventriculi actio perturbatur.

## H Y T R O C E L E .

*Tumor scroti non dolens, paulatim crescens, mollis, fluctuans, pellucidus.* Hydrops hic scroti aut testium, raro simplicem aquae congestationem in cellulosa scroti membrana, pro causa agnoscit; semper enim aliquam in testium substantia aut involucris compressionem, atque obstructionem supponit. Et sane cum scirrho Testiculi, cum spermatocele inveterato, Hydrocele conjungitur. Lues aphrodisiaca, & praesertim inopportuna fluxus Gonorrhoeici curatio, testium & scroti tumorem inflammatorium affert; dissipata inde antiphlogistica inflammatione, superest hydrocele.

## IV. SOLIDAE.

## PHYSCONIA.

*Tumor quandam abdominis partem potissimum occupans, paulatim crescens, nec sonorus nec fluctuans.*

## RACHITIS.

*Caput magnum anterius maxime tumens; genicula tumida; costae depressae; abdomen tumidum; caetera marcescentia. Color ex pallido - Cinereus, summa debilitas artuum, spinae contorsio, & vertebrarum admodum irregularis inflexio. Multi Rachitide haereditaria laborant, alii ob depravatam nutritionem & varia digestionis vitia; nonnulli etiam ob Luis celticae feminium, a parentibus acceptum, in Rachitidem incidunt; est autem morbus in infantili aetate frequentissimus. Major vero Rachiticorum pars vel acutissimis febribus, vel Phthisi pulmonali e medio tollitur.*

## ORDO III. IMPETIGINES.

*Cachexiae cutem, & externum corpus praecipue deformantes. Maculae, tumores, exulcerationes, raro totum corpus, modo hanc, modo illam partem occupantes; plerumque sine febre, saepe cum pyrexia acuta, aut levi motu febrili. Impetiginum classem, sive ordinem constituunt. I.*

*Glandularum conglobatarum, praesertim in collo tumores; labium superius, & columna nasi tumida; facies florida; cutis levis; tumidum abdomen.* Abdominis intumescencia tardissimam lymphae circulationem, & omnium glandularum mesenterii obstructionem aesse declarat. Colli glandulis tumidis retardatur refluxus lymphae a capite, hinc facies magis florida, ac tumidiuscula fit. Si scrophulae medicamentorum activitate, aut naturae actione suppurantur, primam suppurationem numerosae aliae sequuntur; quia substantia illa morbosa, qua colli glandulae occupantur, difficulter ob propriam naturalem tenacitatem corrumpitur. In strumarum tumore pulsus tardus, superior, tamen inaequalis, & obtusus est; dum vero suppurantur strumae irritatio primum, dein undosa inaequalitas in arteriis observatur; hoc tamen peculiari caractere distinguitur pulsus parti affectae respondens. Strumosi saepe tussi, vomitibus pulmonalibus, & asthma laborant, quia simili lymphae pulmones infarciuntur. Causa morbi Gallici scrophularum causae valde analoga, similes effectus, nempe scrophulas gignit.

## S Y P H I L I S .

*Morbus contagiosus; post concubitum impurum, & genitalium morbum, ulcera tonsillarum; cutis praesertim ad marginem capillitii; papulae corymbosae, in crustas, & in ulcera crustosa abeuntes; dolores ostocopi; exostoses.* Lues venerea, vulgo morbus Gallicus paulo ante detectam Americam in Italia apparuit, juxta nonnullorum sententiam; passim vero habetur pro morbo americano. Impuro



puro concubitu, pure venereo vulneratae parti immisso, nutricis lacte, feminio haereditario suscipitur, per longum tempus aliquando in humoribus latet, paulatim deinceps incrementum, humorum primo naturalem spissitudinem, ac lymphae primo tenacitatem maximam reddit, unde glandularum conglobatarum in inguinibus, collo & mesenterio tumores nascuntur, ut plurimum scirrhusi, ac frigidi. Organorum deinde oeconomiam perturbat, Hepatis obstructions, splenis intumescencias, atque ipsius cerebri concreciones insanabiles generat. Ad ossa demum fertur, durissimam illorum substantiam in tumorem attollit, & carie erodit. Ubi pulmones debiles, malamque pectoris temperiem offendit, & ulcera in faucibus valde perniciose, & Phthisim pulmonalem, & hecticam febrem affert. Articulationes, in quibus humores admodum lenti glutinosique colliguntur, hoc morbo essentialiter infestantur. In articulis enim brachiorum, genuum, ac pedum, primaria est nocturnorum dolorum, & exostosium sedes; atque saepissime ossa cranii interne praeternaturaliter elevata, dolores capitis intolerabiles afferunt. Lues Celtica si negligitur, aut inopportuna uberissime hydrargiroso tractatur insanabilis fit, atque in genuinum scorbutum transit. Pustulae, quae cutem occupant, aut rotundae, ae parvae sunt, variolis simillimae, & suppurantur perfecte, aut maculas rubris miliaribus efflorescentiis compositas referunt, aut crustis constant admodum elevatis, crassis, quibus pus satis corrosivum subjicitur. Partes genitales gonorrhoea, ulceribus, varique generis excrescentiis infestantur, de quibus suo loco. Pulsus in lue venerea recenti, & confirmata, quando nulla adhuc graviora symptomata, & praesertim suppurationes adsunt, est lentus, tardus,

cus, rarus parvus; atque exercitatus medicus glutinosi spissiorisque fluidi, non alacris, ac fluidissimi sanguinis motum animadvertit. Naturam morbi Gallici a medicamentis, quibus curatur facile intelligimus. Solis enim stimulantibus, alterantibus, ac dividantibus praesidiis potest debellari.

## S C O R B U T U S.

*In regione frigida post victum putrescentem, salitum, ex animalibus confectum, deficiente simul materia vegetabili recente; aethenia; stomacace; in cute maculae diversi coloris, plerumque livescentes, praesertim ad pilorum radices. Praeter scorbutum ab inveterata Lue Celtica ortum, quia tunc ad summum alkalinae corruptelae fastigium humores perveniunt, genuino scorbuto nostrae carent regiones temperatae. Causa hujus morbi merito collocatur in abusu ciborum animalium, sale marino preservatorum; quia acidis particulis dissipatis hujusmodi carnes abundant acri, rancido, & magnopere corrosivo principio. Gingivarum ulcera foetida, spiritus foetidissimus, pessimus perspirationis odor, summa virium prostratio, pulverum languor, paruitas, & tarditas, sanguinis, vel e naribus, vel a venis haemorrhoidalibus effusio, massae communis corruptionem, ac dissolutionem demonstrant. Scorbuti chronici effectus recte comparari possunt, cum symptomatis putrescentiae in omnibus morbis putridis, & praesertim in malignis variolis. Celeriter tunc sanguinis elementa naturalem cohaerentiam amittunt, & usque ad loca non propria perveniunt, & per varia eruntoria eliminantur. Acida, aquosa recentia, succi vegetabilium, aer frigidiusculus campestris, acidis plantarum exhalationibus refertus, vinum austerrum,*

rum, & antiseptica omnia, scorbuti curationem absolvent; adeoque de morbi causa septica, sive potius acri, & alkalina dubitari non potest.

## E L E P H A N T H I A S I S.

*Morbus contagiosus; cutis crassa, rugosa aspera, unctuosa, pilis destituta; in extremis artubus anaesthesia; facies tuberibus deformis; vox rauca, & nasalis.* Frequens hic Orientalium morbus ab Araeteo fufius describitur, apud nos vero rarissime observatur.

## L E P R A.

*Cutis escharis albis furfuraceis rimosis, aspera, aliquando subtus humida pruriginosa.* A vetustissimis scriptoribus toties memorata affectio, hac aetate rarissima est in Europa; adhuc tamen in Arabia vulgarissima; immo in magnis civitatibus, peculiarem urbis partem Leprosi inhabitant, atque nunquam Leprosorum filii cum reliquis sanis hominibus vivunt, usque ad certum aetatis annum, si lepra non apparuerit. Unicum nos mitioris leprae exemplum, sulphure unguenti forma adhibito, feliciter curatum vidimus.

## F R A M B A E S I A.

*Fungi, Mori vel Rubi idaei fructus referentes, in variis cutis partibus enati.*

## T R I C O M A.

*Morbus contagiosus; capilli solito crassiores, in cirrhos, & funiculos inextricabiles implicati; appellatur etiam Plica Polonica.*

ICTE.

*Flavido oculorum, & cutis; foeces albiae; urina obscure rubra; immissa colore luteo tingens.* Icterus chronicus a crapula assidua, perturbata digestionem, exercitationum muscularium defectu, praeter allata signa, linguam habet tartaro crasso obductam, & in extremitate rubram; pulsus dexter inferior, nempe parvus & profundus, aliquando in medio elevatur, & non solum stomachi laborem, sed etiam imminens vomitum praenunciat. Saepissime aegri quaeruntur de dolore in latere sive hypochondrio dextro, musculique abdominales admodum rigidi evadunt. Characterem vero morbi essentialem suppediat pulsus in parte anteriori arteriae sinistrae profunditas insignis, inaequalitas & defectus, dum versus cubitum arteria vehemens, & elevata est. Si versus diaphragma hepatis obstructio, a qua Icterus oritur ascendit, tunc adest tussicula, & saepe Haemoptysis apparet; contra vero in Ictero ab obstructione, ut ita dicam, descendente orto, vasorum haemorrhoidalium intumescencia, & ruptura accedit. Frequenter etiam a magno splenis tumore, compresso hepate icterus nascitur.

## CLASSIS IV. LOCALES.

Morbi Locales, qui in hac Classe comprehenduntur, & modo vitiorum, modo morborum organicorum nomine distinguuntur, in partis alicujus, non in totius corporis affectione versantur.

ORDO

## O R D O I. D Y S A E S T H E S I A E .

*Sensus depravati aut delati ex organorum exteriorum vitio.*

## C A L I G O .

*Visus imminutus vel abolitus.* Hoc genere complectuntur Cataracta, Amaurosis, Mydriasis, Glaucoma, aliaeque minus essentialia differentiae. Cataracta, quae dicitur etiam Gutta opaca, & aqua arabum, Glaucoſis Hippocratis, Hypochyſis Galeni, & Glaucoma quorundam; eſt viſus debilitas ob maculam opacam pone pupillam. Lentis cryſtallinae opacitas a colore albicante indicata, eſt morbi cauſa materialis, haec opacitas aliquando fit ob ſolidam Lentis ipſius denſitatem adauctam; interdum naſcitur, quia pars haec pellucida in humorem, ſive ſuccum lacteum capsula incluſum vertitur. Incipiente opacitate objecta, fumo, ſive nebula involuta apparent; progreſſu vero temporis integra caecitas ſuperuenit. Attamen lucem a tenebris diſtinguunt aegri, & in vera cataracta ſupereſt ſemper pupillae dilatatio, atque conſtrictio, quia nervosae propagines naturalem ſervant integritatem. Cataracta liberamur chirurgi induſtria, qua, vel acu lens cryſtallina deprimitur, radiisque lucis tranſitus paratur, vel incifione horizontali, ſive tranſverſa corneae lucidae, mediante leni preſſione foras educitur. Amauroſis, Gutta ſerena arabum, ſive cataracta nigra Germanorum, eſt viſus debilitas abſoluta, ſine ulla organorum opacitate inaſſueta. Integre reſoluto, aut obſtructo nervo optico, atque retina hoc vitio affecta irreparabilis, & abſoluta caecitas nullis ſuperanda remediis accidit. Mydriasis deinde eſt

est pupillae nimia dilatatio , quae visioni nocet ; pupilla etiam saepe a sua naturali forma recedit. Glaucoma denique dicitur caecitas illa , quae fit turbatis humoribus , & oculo flaccido .

## A M B L Y O P I A .

*Visus depravatus* . Numerosas complectitur differentias , quemadmodum Suffusio , Phantasma , Presbytia , Myopia , ac Dyplopia . Amblyopia a Sauvagesio proprie appellatur , visus debilitas respective ad situm , gradum lucis , distantiam objecti , permanente tamen naturali oculorum pelluciditate . Hoc autem vitium vel ab ipsa infantia , ob connatam ingenitamque nervorum imbecillitatem nascitur , vel superest post acutorum morborum curationem , vel denique ingrauescentis aetatis signum est ; unde Presbytia proprie dicta , sive facilius remotiorum objectorum visio sequitur . Debiles hoc in casu oculi , radiis a proximis objectis manantibus cum quadam asperitate percutiuntur , unde quasi dolorifica molestaque concussione affecti , confusam visionem efficiunt , quemadmodum sanissima etiam visione praeditis evenit , si splendentissimum solem intuentur . Ob eandem rationem in debilitate visionis , oculi vespertino tempore , ac obnubilato aere melius vident , quam si in meridiana luce versantur . Suffusio deinde , sive Scotoma est objectorum , quae non sunt imaginaria visio , quod quidem a laesione functionum capitis , atque a perturbata nervorum oeconomia repetendum est . Dyplopia denique objecta ostendit duplicata . Multa denique sunt in oculorum officio , quae dum a naturali statu recedunt , internarum affectionum certa nobis indicia praebent . Summi e g. momenti res videtur motum oculorum , visionisque gradum  
in

in acutis morbis variisque acutorum temporibus observare. Quae ab Hippocrate diligenter adnotatur in Prognosticis extant. Primum vero omnium, si cum aliqua tarditate moventur oculi, atque magna humorum pelluciditas obnubilatur, oculique non tenuissimis, sed densis opacisque humoribus coagmentari videntur, lethale est. Vita tunc debilissima, mentis quoque dejectionem, quae ab hujus sensationis deficiente intensitate declaratur, ostendit. Visio enim inter reliquas corporis sensationes, & metiri & aestimari, certisque subjici potest legibus, quia oculorum status visionis variam actionem prodit; reliquae vero sensationes ab effectu tantum & dignosci & aestimari possunt.

## D Y S E C O E A .

Dyssecoea dicitur auditus imminutus vel abolutus. Hujus quidem infirmitatis variae assignari possunt causae. Interdum obturata sebacea & ceruminosa materia auriculae apertura, aeris percussionibus sonoris aditus ad interiora auris praecluditur. Interdum delicatissima ossium compages corrosivo aliquo humore, pure in cavitate collecto auris, aut alia interiori labe corrumpitur. Nervorum acusticorum resolutio aut obstructio, ob acutos morbos cum lethargo ac delirio conjunctos surditatem, aut ob tenacissimam luis venereae causam gignit; saepe surditas ingravescente aetate, ob adhaesam solidorum rigiditatem, atque ob imminutam tenuis fluidi in sanguine copiam, accedit. Solet etiam a nativitate surditas adesse, & tunc plerumque a depravata partium conformatione pendet. Surdi denique fiunt saepissime aegrotantes, qui biliosis febribus afficiuntur; atque hoc in casu juxta Hippocratis observationem, surditas biliosis evacuationibus super-

pervenientibus cessat, & vice versa. Surdi plerumque taciturni sunt, quia paucioribus sensationibus, minori que idearum numero percelluntur. Rursum loquendo acutissima voce utuntur, reliquos enim proprio vitio detineri existimant.

## P A R A C U S I S.

Paracusis est auditus depravatus, in quo juxta Sauvagesii definitionem, voces articulas distincte audiendi difficultas, vel impotentia adest, dicitur etiam a Latinis Obauditio. Eiusdem quoque generis species est Syrigmos, nempe strepitus, fluctuatio, aut sonitus aurium. Est autem perceptio imaginaria soni, cujus nullum est extra aures principium. In Coryxa diurna, in pertinacioribus convulsionibus hysteris, saepissimeque in decrepita aetate animadvertitur.

## A N O S M I A.

Odoratus imminutus; vel depravatus. A morbo aliquo peculiari narium, utpote polypo, oxaena coryxa, haemorrhagia, ipsa etiam fistula lacrymali, odoratus modo imminuitur, modo aboletur, modo adeo pervertitur, ut boni odores maleolentium substantiarum effectum gignant. In acutis, assuetorum odorum gratissimae antea sensationes, intolerabiles evadunt; atque cum valetudinis integritate rursus assuetis odoribus delectamur.

AGHEU-



## A G H E U S T I A .

*Gustus imminutus, vel depravatus.* Interdum ob nervorum huic perficiendae sensationi dicatorum peculiarem affectionem, resolutionem nempe, aut obstructionem, gustus vel depravatur, vel tantum imminuitur. Interdum adeo pervertitur humorum indoles, ut dum amarissimus in ore gustus excitatur, omnia quae masticantur, & quae ingurgitantur, amarum semper saporem praeseferre videantur. Saepe etiam hoc accidit in delirio, atque in omnibus fere mentis aberrationibus. Neque raro acutorum principium antevertit, & evanescentes morbos sequitur gustus depravatus. Pessimum vero signum est in quocunque affectu appetitum depravari, quippe ob primarum viarum infarctum, vitiosi semper humores sanguini comunicantur.

## A N A E S T H E S I A .

*Tactus imminutus vel depravatus.* Exquisita tactus sensatio integra servatur, dum cutis certam mollitiem, flexilitatem tenuitatemque retinet, adeo quidem, ut nervi facilius levissimos quamvis contactus, ac superficiales pressiones persentiant, atque molestiis omnibus afficiantur. Igitur statim, ac superficies corporis, aut externis causis, utpote frigoris corrugatoria actione, aut immodico calore per longum tempus afficitur, non solum ob duritiem, crassitiemque, sed etiam ob callositatem quandam extremitatibus nervorum supervenientem, tactus depravatur. Aeris atmosphaerici contactu diuturno, cutis adeo durescit, ut delicatiores pressiones minime animadvertat; nos enim facilius in nuda facie nudisque manibus, aut frigoris adurentem acutiem, aut caloris exsiccantis

G

ve-

vehementiam perferre solemus , quam in reliquis partibus , quae vestimentis obducuntur . Quamvis E. G. pedes , qui calceis semper teguntur , & callos contrahunt , quia contactum primo arduum , totiusque corporis pondus sustinent , adeo tamen delicati sunt , ut omnino contrectari nequeant : contrarium vero accidit in manibus .

## A N A P H R O D I S I A .

*Libidinis defectus , vel veneris impotentia . Aetas protracta , veneris abusus , morbi gallici diuturnitas , morborum acutorum vires destructrices ; libidinem magnopere imminuunt .*

## O R D O II. D Y S C I N E S I A E .

*Motus impediti vel depravati ex organorum vitio.*

## A P H O N I A .

*Est vocis plena suppressio citra coma aut syncope .* Intelligitur proprie de essentiali vocis impedimento , aut integro aut imperfecto tantum , non de symptomatica vocis privatione , quae in convulsis , lethargicis & animi defectuprehenditur . Impedimentum in loquela , a visibili partium laebe , uti a palati , fauciumque ulcere , pulmonum suppuratione aut inflammatione , ortum ducit . Rursum fit nervorum spasmo , aut integra resolutione .

## M U T I T A S .

*Verba articulandi impotentia*, siquidem sonoram saepe muti vocem emittunt, nunquam vero verborum indolem intelligunt, aut litteras articulare possunt. Multi hoc vitio congenito laborant, atque ut plurimum pendet a surditate. Etenim surdi nulla arte tonorum articulorum naturam aut noscere, aut imitare queunt.

## P A R A P H O N I A .

*Vocis sonus depravatus*. In hoc genere reperiuntur Raucedo sive raucitas, clangor, & aliae hujus naturae aegritudines, quae ab organorum vocalium tumore, inflammatione, ariditate & similibus eveniunt. Raucedo a pulmonum ulcere, erysipellate, magis periculosa est, quam in angina, simplicique faucium exulceratione.

## P S E L L I S M U S .

*Verba articulandi vitium*. In prima aetate fit, quia partes non sunt penitus evolutae, neque debito adhuc robore gaudent. Expeditissima deinde fit loquela aetate proVectiori.

## S T R A B I S M U S .

*Oculorum motus inaequalis*.

*Geniculorum contractio rigida.* Externae internaeque causae, immobilitatem in articulo aliquo gignunt. Fractura circa articulum, luxatio, ulnus valde profundum, tumor, aut aneurysma in poplite, geniculi contractionem efficiunt. Frequentiores Podagricae exacerbationes, diuturnior Lues Venerea, Rachitis, ossium caries, pro ejusdem morbi causis internis habere debemus.

### ORDO III. APOCENOSES.

*Fluxus, sive sanguis, aut humores alii solito uberius profluens, sine pyrexia impetive fluidorum aucto.*

Hoc itaque ordine complectuntur immodicae illae evacuationes, quae non sunt recensendae inter accidentia februm acutarum, aut chronicorum morborum. Ut plurimum vero haemorrhagia, fluxus haemorrhoidales, aut menstrui instante pubertate, sine febre eveniunt, & sine ullo organico affectu. Praeter hosce casus, haemorrhagiae a viscerum naturalium maximis obstructionibus, a vomica pulmonali, & hydrope pectoris quae per nares fiunt, nunquam cum febre conjunguntur. De signis hujusce fluxus supra disputavimus.

### P R O F U S I O .

*Fluxus sanguinis.*

### E P I P H O R A .

*Fluxus humoris lacrymalis.*

PTYA†

## P T Y A L I S M U S .

*Fluxus salivae.*

## E N U R E S I S .

*Urinae e vesica fluxus involuntarius non dolens.*

## G O N O R R H A E A .

*Humoris ex urethra , sine libidine stillicidium .*  
 Communi appellatione Gonorrhœa dicitur , non morbosâ involuntaria , & immodica feminis evacuatio , quae a veteribus etiam dignoscebatur ; sed ita nuncupatur materiae virulentae ex urethra emissio , quae cum dolore & ardore urinae , & involuntaria erectione conjungitur , atque ab imparo concubitu ortum ducit . Urina , quae cum incredibili saepe molestia mingitur turbulenta , mucosis filamentosisque particulis scatet ; filamenta vero etiam post debellatum morbum in urina supersunt . Descriptus modo urethrae fluxus , qui colorem praefert modo ex albo luteum , modo ex viridi-lutescentem , & accidit plerumque cum dolore & pruritu , aut ad basim glandis , aut cum ponderis sensu versus perinaeum , passim existimatur oriri ab ulcere in aliqua urethrae parte , actione veneni celtici efformato . Verum materia , quae fluxum componit non puris , sed mucii consistentiam , colorem , ac tenacitatem possidet ; nulla in cadaveribus hominum gonorrhœa extinctorum ulceris signa in meatu apparent , ulcera venerea nunquam tantam tenuis in principio puris copiam suppeditant , sed contra tenuissima , & membranacea quasi eschâra teguntur , uti semper in partium genitalium ulceribusprehendimus ;

G 3

fiqui-



liquidem causae naturam fervant. Hinc quemadmodum contrarium prorsus in gonorrhoea evenire videmus, quo enim virulentior est, eo majorem tenuioris semper substantiae assiduamque fluxum suppeditat, ideo nunquam de urethrae ulcere, dubitare debemus. Neglecta insuper in faeminis virulenta gonorrhoea, dum uberrimum ex vagina tenuis substantiae stillicidium exhibet, numquam veri ulceris in partibus naturalibus signa inducit; Medicisque saepius hoc in casu ulceris uterini specie decepti aut inutiles, aut noxias curationes suscipiunt. Ex dictis itaque facile eruitur gonorrhoeae essentiam, non in ulcere, sed in praeternaturali ex glandulis urethrae praesertim stillicidio, coryxae, aut morbosae salivationi simillimo, versari. Multum a natura loci, multum ab urinae qualitatibus pendent accidentia in gonorrhoea frequentissima. Medicamenta praesertim stimulantia longam difficilemque morbi curationem reddunt.

#### ORDO IV. EPISCHESES.

*Excernendorum suppressiones, sive morbi constri-  
ctorii hoc ordine continentur.*

#### O B S T I P A T I O.

*Dejectiones nullae vel solito rariores.* Alui obstipatio vel a temperamento, vel a vivendi genere, aut a varia anni tempestate oritur; praeter casum acuti alicujus morbi, in quo etiam elapsis criticis diebus, frustra necessariae alui egestionis expectantur. Hoc vero in loco peculiariter de morbo alui silentio pertractatur. Silet alvus vigente inflammatorio affectu externo, aut interno; vera pleuritis obstipatione comitata incedit. Silet

let alvus in Erysipelate, & ad nonum vel ad undecimum usque in Variolis. Puerperae hac frequentius laborant aegritudine. Communis est obstipatio in haemoptysi, fluxu haemorrhoidali, omnibusque passim immodicis sanguineis evacuationibus. Rursum in Phthisi pulmonali, usque ad postremum morbi stadium, alvi obstipatione laborant aegri. Ventris deinde fluxus lethalis oritur a magna assiduaque corruptissimi puris resorptione, unde sani humores corrumpuntur.

## I S C H U R I A.

*Urinae suppressio.* Supprimitur urinae evacuatio saepe vesicae vitio, tumore scilicet, calculo, spasmo, saepissimaque renum aut inflammatione aut ulcere, aut mucositatibus, atque lapillis. Ischuria ideo modo Vesicalis, modo Renalis est. Stimulantia omnia acrem urinam generant, & primo frequentiore, copiosioreque reddunt lotium, postmodum vero spoliato aquosis tenuibus particulis sanguine, eademque superstitite acrimonia, vesicae fibrae musculares spasmodice contractae, diutius in eodem irritationis statu permanent, unde urinae suppressio nascitur. Cantharidum particulae alkalescentes, & corrosivae, urinam primario afficiunt, ac modo Ischuriam, modo Dysuriam inducunt. Plantae acres, quae alkalino volatili principio scatent, diuretica ob stimulantem qualitatem evadunt; copiosius vero administrata, irritabilia corpora ad Ischuriam disponunt. A putridis admodum humoribus intestinalibus saepissime oritur meteorismus, cujus causa in copiosissima corrupti, multoque phlogisto referti vaporis extricatione versatur; meteorismus vero integram, ac lethalem stranguriam, aut Ischuriam asferre con-

suevit. Magno, inaequali, scabroque calculo si vesica laborat, non solum ob molem positumque, urinae exitum prohibet, verum stimulo in vicinis partibus inducto spasmodice corrugatur, omniaque perfectae Ischuriae accidentia nascuntur. Idem accidit in haemorrhoidalium venarum intumescencia, atque in ultimis etiam gestationis mensibus, ob simplicem vicinarum partium corrugationem. Mitto quae aliquando eveniunt Ischuriae vesicales, ob Gonorrhoeae virulentiam. In hoc morbo nempe in Ischuria, tumor fere semper observatur in hypogastrio duriusculus, tactui tamen obsequens, qui evacuato integre lotio collabescit. Renalis Ischuria calculis, mucos, ulceribus, congestionibus generatur. Pulsus tunc nunquam vesicalis characterem assumit. Nullus externus apparet tumor, ponderis in lumbis sensus, ac febricula exoritur.

#### A M E N O R R H O E A .

*Mensium suppressio.* Sanguinis menstrui evacuatio regularis, & aetati, temperamento, vivendique generi respondens, mulieres efficit sanissimas; neque ulla gestationis tempore perturbatio essentialis nascitur, quia tunc integra sanguinis superflui quantitas, quae menstruae eliminabatur, ad foetum alendum inferuit. Attamen si mulier non gravida Catameniorum defectu laborat, reliquae functiones statim debilitari incipiunt, & imi praesertim ventris oeconomia pervertitur. Recens aegritudo nauseam, defatigationem, anorexiam; diuturnior vero summam coloris defaederationem, pulsuum celeritatem, frequentiam, & varias, aut arteriae caelicae, aut ipsius cordis palpitationes affert. Non raro pedum oedemata, atque obstructions Hepatis, aut Lienis, proximae Hydrops

ge



generationem praenunciant . Deficit omnino , aut imminuitur magnopere sanguinis menstrui fluxus ob subitos pavores , ob perturbatam digestionem , ob morbos acutos , aut chronicos viscerum naturalium , ob partum laboriosum . Etenim omnes , quae in mulierum corpore mutationes praeternaturam eveniunt , brevi uteri oeconomiam funditus evertunt . Inter causas etiam collocanda est nimia solidorum validitas , atque insignis fibrae muscularis contractilitas ; unde fibrarum uterinarum resistentia nequit facile a sanguinis determinata impulsione superari . Hinc semper in inflammationis mulierum morbis , si vigente acutissima febre uterus sanguine evacuetur , bonum , quia vim inflammationis jam mitiorem evasisse pro certo judicamus . Contrarium accidit , si uterus sanguine atro exoneratur , tempore putridi ac corruptorii affectus . Causa enim tunc in magna periculosaque humorum dissolutione versatur . Peculiarem plenitudinem sive elevationem praesertit pars anterior arteriae dextrae in menstruantibus ; atque ante effusionem sanguinis durior , in progressu vero mollior magisque undosus redditur pulsus . In morbis chronicis saepissime integra sanguinis menstrui cessatio , non pro effectu , sed pro causa habetur ; error frequentissimus est , quia mulieres , quae in Phthisim E. G. pulmonalem incidunt , nunquam menstruare soleant , neque in hoc casu naturalis haec evacuatio rursus apparebit , nisi praevia essentialis morbi curatione .

#### ORDO V. TUMORES .

*Tumores protuberantes Linnaei , sive tumores proprie dicti , sunt a partium magnitudine aucta non phlegmonodea .* Definitio haec generalis respicit  
tu-

tumorum apparentiam externam , quae multis in casibus nullis inflammationis signis distinguitur , quamvis accidentia gravioris inflammationis a diligenti medico animadvertantur .

#### A N E U R Y S M A .

*Tumor mollis , pulsans supra arteriam .* Non proprie arteriae imponitur tumor aneurysmaticus , sed efformatur a relaxatione primum , deinde ab essentiali dilatatione tunicarum , quibus arteria componitur . Tunc sanguis irregulariter per locum dilatatum movetur , & inter laxiores arteriae parietes aliquam experitur retardationem . Per gradus inde congeritur in tumoris cavitate , ejusque latera occupat valde inspissatus , in corium membranaceum concretus sanguis , qui informem polyposam congeriem mentitur . Statim ac aliquo in loco arteria in tumorem elevata , saccum aneurysmaticum efformat , pulsuum aequalitas , regularitasque evanescit ; mutantur vero pulsus juxta sedem partis affectae , atque juxta gradum , sive quantitatem dilatationis . Multum a varietate sedis affectae , atque ab amplitudine tumoris , atque etiam a vicinarum partium natura , inter se differunt accidentia aneurysmatum . Dilatatio , quae accidit in egressu magnae arteriae , si versus dextram thoracis cavitatem tumor vergit , tunc omnia pulmonis infirmi signa affert . Tussis oritur primo sicca , deinde lymphæ sanguine tenui tincta ejicitur . Decubitus in utrumque latus molestissimus . Raucedo diuturna , arteriae dextrae amplitudo , vehementia , ac durities insignis . Pulsus vero sinister deficit in parte anteriori , elevatur in media , & denique versus partem posteriorem deprimitur . Arteriae tamen semper vibrantes sunt ,  
du-

durae , superiores , atque aliquando tremorem fivē fibilum in pulsatione declarant . Quo magis dilatatur , atque ad rupturam vergit saccus aneurysmaticus , summam celeritatem , maximamque frequentiam pulsus nanciscuntur , simulque admodum parvi profundique fiunt . Tunc aneurysmaticorum mors , in propinquo est . Si dilatatur arteria aorta in magno arcu , tunc pulsus quamvis ob durtiem & vehementiam superiores , & pectorales esse videantur , tamen nullam peculiarem pulmonum laesionem declarant . Manus observatoris , quae dorsum comprimit , insignem inibi pulsationem animadvertit ; ac aeger de molesto dorsi dolore saepe quaeritur . Non raro in hisce aegris , in quibus etiam saliva sanguinolenta excernebatur , subitam immanem , & momento temporis lethalem haemoptysim observavimus , quia rupto intra bronchiorum cavitatem sacco aneurysmatico , statim immensa sanguinis effusione homo suffocabatur . Mortis causa manifesta , in cadaveris perlustratione apparuit . Tumor aneurysmaticus infra diaphragma , in aortae descendētis trunco collocatus , admodum validam pulsationem , leviter prementibus digitis offerebat . Alvus admodum obstipata , dolores intestinales , magna abdominis totiusque corporis macies , pulsuum inferiorum ictus parvi , inaequales & profundi , novam aneurysmatum infra diaphragma existentium diagnosim nobis in Nosocomio Incurabilium obtulit . Potest etiam ipsa cordis substantia aneurysmate affici , quod quidem non solum accidit per se , atque morbum essentialē constituit , verum saepe gignitur ob pulmonis magnas vomicas , atque magnae molis tuberculum ; quia in primo , & in secundo casu , maxima semper observatur spirandi difficultas , neque respiratio , nisi erecta cervice perfici potest , pulsusque sunt

sunt admodum inaequales, obscuri, intermittentes, semperque arteria dextra fere evanescit. Hoc autem accidit tantum in gravissimis thoracis affectibus, hydropse scilicet pectoris, ac Phthisi pulmonali. Valde analogae modo adnotatis sunt accidentia, quae hydropem pericardii comitantur. Aneurysmata exteriora, quae sedem habent aut in brachio, aut in arteria poplitea, dolorem, ut plurimum in parte affecta excitant, ob vicinarum sedium, & praesertim ob nervorum compressionem. Iisdem in locis oedema subrubrum, ac lucidum, ob magnam cutis distractionem efformatur. Pulsus vero sunt semper exteriores, magni, vehementes, inaequales, uti in Erysipelate; at arteria aneurysmati respondens, magis irritata, dura ac vibrans est. Vidimus aneurysmaticum etiam tumorem, ovi Columbini magnitudine, versus carpum brachii dextri, in muliere consistentis aetatis collocatum. Pulsatio insignis erat, atque vehemens arteriae micatio versus cubitum, sed versus carpum ubi desinebat tumor, arteria profundissimas, debiles, ac magnopere inaequales pulsationes perficiebat. Hoc nulla profecto indiget explicatione. Adnotabatur a praeclarissimo Huntero nova hujus morbi species, quae nomine aneurysmatis varicosi aptissime designabatur; accidit enim, dum perforata brachii vena in phlebotomia, ab imperito Chirurgo, supposita arteria vulneratur, atque ob arctiorem falciae circumductionem, venae vulnus, vulneri arteriae adamussim respondens simul coalescunt, supersite tamen libera inter vulneratam arteriam, ac perforatam venam communicatione. Nobis hujus generis casum nuperrime observare contigit. Adnotavimus itaque, quemadmodum in aegris ab Huntero propositis, tumorem in brachio, qui nucis juglandis magnitudinem praeferebat.

Pul-

Pulsatio valida ictibus constabat tremulis , manifesta que sibili stridula sensatio digitis occurrebat . Arteria affecti brachii profundissima , languida , atque interna erat , neque ullo caractere aneurysmatico distinguebatur . Oppositi brachii pulsus , secundum naturam se habebat . Descriptum aneurysma , ob immediatam arteriae cum vena communicationem , sanguinis magnam copiam in venam mittit in loco vulnerato . Hinc nil mirum si arteriae elevatio infra tumorem fere imperceptibilis existit . Rei veritatem Hunterus in cadavere hominis hoc aneurysmate affecti , & diverso morbo sublato affecutus est . Haec de aneurysmate vero . Falsum deinde , sive spurium dicitur , ubi vulnerato aliquo insigni arteriae trunco , sanguis in circumpositas sedes effusus , ibique in solidam fere massam concrefcens , tumorem in cellulosa membrana gignit . Peculiaribus tamen caracteribus a vero distinguitur , ut plurimum enim irregularem habet figuram , ac consistentiam , fluidior enim est in parte , quae arteriae propior est , durior contra tenaciorque in locis remotioribus ab ipsius arteriae parietibus . Dum comprimitur nunquam evanescit , quia solida fere massa componitur . Pulsatio rursus magis , aut minus manifesta est , juxta diversum coagulationis gradum in sanguine effuso . Veteres medici usque ad Fernelium nullam inter verum , ac falsum aneurysma differentiam statuerunt . Paulus vero Aegineta , & Graeci omnes verum & falsum aneurysma descripserunt , atque operationem chirurgicam in utroque casu necessariam proposuerunt . Causae , quae verum aneurysma gignere valent , multiplices profecto sunt , atque dividuntur recte in internas , atque externas . I. Itaque vehementissimae corporis exercitationes , ciborum aromaticorum , atque potio-

tionum spirituosarum, & calidarum abusus; vigilia diu protracta, pavores, aliaque graviora animi pathemata, venus immodica, caeteraque hujus naturae, si in homine valido, athleticoque corporis habitu praedito locum habent, tumoribus aneurysmaticis originem praebent. Scorbutica aliquando, & acris humorum diathesis, & corrodere, & relaxare tunicarum arteriosarum firmitatem potest; adeoque, & in hoc casu aneurysma excitabitur. Num, & a climate etiam temperato, & irregularibus atmosphaerae mutationibus obnoxio, aneurysmata fiunt frequentiora? Frequentissima certe sunt in nostra hac mitissima regione. Cavendum denique ne tumores duri, aut scirrhusi nonnullis arteriis insidentes, dum pulsationem reddunt insigniorem, aneurysmatis apparentia nos decipiant; hoc tamen saepissime accidit in Broncocele.

## V A R I X.

*Tumor mollis, non pulsans, supra venam.* Quemadmodum arteria praeternaturaliter dilatata aneurysma gignit, ita dum venae praeter modum aliquo in loco relaxantur varices efficiunt. Attamen nulla in varice pulsatio animadvertitur, nisi illa quae hisce tumoribus, a vicinis aliquando arteriis comunicatur. Rursum non unica dilatatio in unico trunci alicujus venosi loco efformatur, uti accidit in aneurysmate, sed plures simul collecti majores rami varicosi fiunt. Color varicis semper ad purpureum, sive plumbeum vergit, venaeque varicosae, quasi in magnos nodos distinguuntur, ac separari videntur. Verum etsi, caeteris paribus, aneurysmate minus periculosi sint; attamen magni varices statim disrupti, non raro  
ir-

irreparabilem haemorrhagiam afferunt. Ubi cumque venae tibiae in immanes abeunt varices, aut colli venae insigniter dilatantur, pulsus parvi, languidi, inaequales obscurique redduntur; magna enim sanguinis copia in locis a corde remotissimis stagnat. Causae varicis, cum aneurysmatis causis magna ex parte conveniunt.

## E C C H Y M O M A .

*Ecchymoma, sive sugillatio, est Tumor diffusus, parum eminens, livescens.* Sanguis ob vulnus, contusionem, validamque partis compressionem, in spatia cellulosa diffusus, aliquando mediocrem tumorem gignit, saepe imperceptibilem elevationem affert. Hujus aegritudinis vulgares effectus, telae cellularis areolas per totum corpus sparsas, inter se communicare manifeste ostendunt. Nam a loci alicujus peculiaris sugillatione, extra vasa effusus sanguis decliviora petens, per varias corporis regiones diffunditur. Post certum temporis intervallum particulae effusi sanguinis stagnatione, & corruptione attenuatae, luteum primo colorem acquirunt, denique, absorbentur, ac omnino evanescent. Corruptuntur, & acres evadunt ante absorptionem, quia pars ecchymomate affecta pruritu constanter vexatur; hoc autem efficacissimae acrimoniae signum est. Potest denique sugillatio ab interna causa fieri, & tunc prorsus lethale signum est. Ita evenire videmus in variolis malignis, in periculosis febribus petechialibus; in quibus decompositus, & propria consistencia sive cohesione orbatus sanguis, cellulosa spatia ingreditur. Ab eadem causa pendent maculae scorbuticae. Hisce etiam argumentis innixi ostendimus, quod quum circa epispastica, aut ulcera

cera diversae naturae fugillationes observantur, morbus est perniciosissimus. Magnae denique fugillationes, quia insigni fanguinea collectione constant, possunt, ac revera suppurari solent.

## S C I R R H U S ,

*Partis plerumque glandulae, tumor durus, non dolens, aegre suppurans.* Glandulis frequenter conglobatis, sive lymphaticis supervenit durissimus tumor, figuram habens valde irregularem, & aliquando cum lancinantibus doloribus conjunctus. Mammae in ablactatione, aut in retropulsione, admodum inopportuna lactis, scirrhosum tumorem contrahunt. Amenorrhoea copiam noxiorum humorum in sanguine generat, unde glandulosae sedes, uteri praesertim, ac mammarum carnes numerosissimis canalibus refertae, obstructionem nanciscuntur: Frequentior scirrhus in mulieribus est, quia copiosioribus evacuationibus indigent, minimaque, aut in quantitate, aut in tempore harum egestionum aberratio, duris scirrhosisque tumoribus occasionem praebet. Quemadmodum vero in utero, aut in mammis feminarum memorati gignuntur tumores, ita etiam homines glandularum mesenterii scirrhosa obstructione, hepatis, aut splenis etiam Scirrho affici consueverunt. Minus tamen periculosa sunt durissimae quamvis congestiones, quae in splene hepate, aut mesenterio hominum eveniunt, quam illae, quae in mammis, aut utero mulierum fiunt. Mesenterio etenim excepto, splenis, aut hepatis obstructiones, quemadmodum causam a febribus intermittentibus, & difficili tempore paroxysmi febrilis liquidorum circulatione agnoscunt, per longum tempus, neque mutantur, neque peculiarem corpori noxam affe-



afferunt ; at glandularum conglobatarum tumores, qui a generali lymphae degeneratione pendent, plerumque in mali moris ulcus definunt. Color totius corporis, non in recenti, sed in admodum aucto scirrho foedus redditur, dolores corpus tumoris perturbant ; ciborum digestio pervertitur ; atque juxta diversitatem sedis affectae, vario modo pulsus mutantur. Praeter adnotatas modo causas, scirrho fundamentalem praebent originem frequentiora gravioraque animi pathemata.

## G A N C E R .

*Tumor scirrhodeus dolens, in ulcus mali moris abiens.* Qui scirrho laborant, aliquando aliis morbis extinguuntur, nulla tumori superveniente mutatione ; ut plurimum vero scirrhus exulceratur, pessimique moris ulcere efformato mortem affert, quia tunc in genuinum Cancrum transit. Signa, quae proximam scirrhi exulcerationem designant, sunt primo partis semper aucta intumescencia, dolor lancinans acutissimus, centrum occupans, venarum per tumorem superficiem reptantium varices, color superficiei a rubro ad obscure purpureum vergens. Tenuis hinc crusta in tegumentis efformatur, atque haec levissima quamvis occasione si laceratur, lympham, sive potius aquam tenuissimam emittit. Augetur jugiter serosa evacuatio, quae ob corrosivam qualitatem, brevi ulcus insigne pessimi moris, a quo foetidissimi ichoris magna copia evacuatur, efformat. Ulceris labia inflantur, incurvantur, durescunt, superficiefque integra parvis tanquam tuberculis simul collectis repletur. Hoc tempore febricula cum horripilatione quotidie exacerbatur, uti in omnibus morbis suppuratoriis. Pulsus fiunt inaequales, irritati, duri,

H & na-

& naturam affectae fedis plerumque servant. Habitus corporis ob assiduam ichoroli puris resorptionem defoedatur, stomachi facultates infirmantur, vires musculares languent, saepissimeque caput doloris ponderisque sensu afficitur. Alvus saepe admodum fileat, lingua fere arida & rubra est. Nuperime vidi pertinacissimam artuum superiorum, ac inferiorum paralyfim per tres menses superstitem in muliere, quae immani sinistrae mammae cancro vexabatur. In cancro, uti in omnibus glandularum tumoribus, suppuratio non aequè eadem est, sed modo haec, modo huic proxima pars suppuratur. Hac itaque ratione explicatur, quare in cancro saepe febres vehementissimae adsunt, saepe omni motu febrili immunes sint aegri. Haec omnia accidunt, si scirrhus in partibus externis existens, ulcus efformat. Graviore dolores cum parvo celerrimo inaequalique pulsu observantur in cancro uteri, cum quo generalis etiam abdominis tumor conjungitur. Cancer lethalis est morbus, omnesque respuit eradicativas curationes.

## B U B O.

*Glandulae conglobatae tumor suppurans.* Quemadmodum hoc titulo comprehenditur, non solum tumor suppurans glandularum inguinalium, sed etiam Parotis; ideo Bubo commode dividi potest in acutum & chronicum; ac rursus modo critici, modo symptomatici abscessus nomen meretur. Post impurum concubitum, aut simplex gonorrhoea excitatur, aut cum hoc symptomate, simul apparere incipit glandulae alicujus inguinalis tumor, parum primo molestus, nulla mutatione, quoad cutis colorem conspicua; mox vero adaucto tumore pars inflammatur, dolet insigniter, atque aeger nonnisi  
sum-

summa cum molestia incedit. Pulsus sunt duri, irritati inaequales, atque arteria praesertim sinistra, non mediocri elevatione in parte media distinguitur. Febricula suppuratoria cum horrore accedit, pulsuumque suppuratoriam, atque undosam inaequalitatem affert; horis tandem matutinis sudore terminatur. Descriptis accidentibus perfecta fere semper suppuratio supervenire solet, raro enim tumor sine suppuratione evanescit. Hoc tamen si accidit statim magui momenti damna in interioribus praesertim sedibus eveniunt. Verum hanc Bubonis speciem pro symptomate peculiari Luis Venereae, non pro abscessu iudicatorio, a quo eradicativa morbi curatio expectanda, juxta vulgarem sententiam, habui. Facillimum enim est judicare, qua ratione fiat, ut potius inguinales glandulae suppurentur, reliquis corporis sedibus intactis. Etenim dum in concubitu impuro, medianate partium infectarum attritu, celticum venenum homo suscipit, Lues per aperta undique in genitalium superficie lymphatica vasa, quae recta ad conglobatas inguinis glandulas pergunt, communicatur. Suppurato bubone, copiosissimoque evacuato pure, perfectaue cicatrice ulceri inducta, fere semper graviora celticae luis accidentia declarantur, celerimeque progrediuntur. In curatione itaque Bubonis nos si nullum adhibemus internum antivenerium praesidium, accidentis tantum curationem absolvimus. Hinc doctiores Chirurghi raro, aut caustico medicamento, aut ferro bubonem pertractare solent; sed institutis mercurialibus frictionibus, causam morbi adoriuntur: Numerosa extant exempla bubonum glandularum axillarum, qui veneno celtico exulceratis, aut vulneratis Chirurghi digitis haerente, originem debent. Parotis est glandulae retro aurem tumor suppurans, vigente

acutissimo morbo eveniens . Saepe dum graviora capitis affecti symptomata , ac soporosae affectiones adsunt , natura ad Parotides glandulas morbi causam , critice mittit . Hujusmodi tumores statim ac apparent , candenti ferramento uruntur , ne novae resorptioni locus detur , & morbus hac ratione perfecte possit judicari .

## S A R C O M A .

*Extuberatio mollis non dolens* . Carnium flaccidarum praeternaturaliter aliquo in loco extuberantium tumor , sarcoma constituit . Dum nasi , aut auriculae cavitatem occupat proprie Polypus dicitur , quia mediantibus ramificationibus , quae Polypi marini pedes aemulantur , partibus adhaeret . Polypus narium non solum liberam aeris viam prohibere , sed versus fauces luxuriantibus eminentiis reptans , suffocationis periculum affert . Extirpatio Chirurghi manu facta , eradicativam curationem efficit .

## V E R R U C A .

*Extuberatio durior scabra* . Parvi momenti morbus cutaneus rotundam plerumque figuram habens , atque in hominibus pituitoso corporis habitu praeditis obvius . In mulieribus etiam frequentissimae sunt verrucae , quae benignae suppurationis opera evanescent , multae a nativitate apparent .

## C L A V U S .

*Cuticulae crassities dura , lamellata* . In pedum praesertim digitis , post assiduam validamque compressionem , ac durissimo aliquo contactu , multis  
in

in locis cuticulæ particula durissima, corneam quasi consistentiam acquirit. Hoc autem fit laminis cuticulæ exterioribus insigniter crassescentibus, & in callum abeuntibus, unde dolor si cum vicinis partibus confricantur.

L U P I A .

*Extuberatio subter cutem mobilis, mollis non dolens.* Aegritudo hæc externa appellatur etiam Atheroma, aut Encystis. Costat vero folliculo, aut folliculis diversæ magnitudinis, quorum cavitates substantia aut Pultacea, aut Melli, aut Caseo simillima repletur. Sæpe hujusmodi tumores in immensam magnitudinem excrescunt. Facile vero extirpantur, si vicinæ quibus adhaerent partes, nullam ab extirpatione noxam persentiunt.

G A N G L I O N .

*Extuberatio durior, mobilis, tendini insidens.*

H Y D A T I S .

*Vesicula cuticularis humore aqueo plena.* Cuticula in parvas vesiculas elevatur, ubicumque pungens corrosivus humor ad exteriora fertur, & tenuissimis lymphaticis ductibus erosis, effusionem generat. A causa interna, id quod a combustura, aut Emplastro vesicatorio cuti applicato, accidit. Maligni itaque morbi, quorum causa corruptoria maximam in humoribus dissolutionem inducit hydatides, maculasque gangraenosas, variis hydatidibus sociatas generant. A mali moris Erysipelate cutaneæ hydatides in loco affecto generantur. Hæc vero symptomate ulterius probatur, causam Erysi-

pelatis in bilis adaucta acrimonia esse collocandam, quemadmodum in superioribus dictum est. In putridis itaque malignisque morbis hydatidum apparentia periculosa.

#### H Y D A R T H R U S .

*Articulorum , genu potissimum , tumor , parum primo eminens , cuti concolor , dolentissimus , & mobilitatem imminuens .* Tumor modo descriptus in genu praesertim exurgens non semper , immo rarissime lymphæ tenui , hydropicorum aquae analogæ efformatur ; potius oritur a glutinosa , sebacea , pultaceaue substantia , circa articulum collecta , quæ artus functiones penitus prohibet . Femoris fere semper in hoc casu atrophiam deprehenditur , sæpe articuli intumescencia , cum ejusdem lateris diuturna Ischiade conjungitur . Lues Venerea primaria est gravissimi hujus morbi causa , quæ nisi validissimis , atque efficacissimis praesidiis debellatur , & ulcera cum ossium carie , & dearticulationem affert , & aegros ad extremum lethalem marcorem perducit . Varios hujus naturæ casus , in nostro observavimus Incurabilium Nosocomio .

#### E X O S T O S I S .

*Tumor durus , ossi insidens .* Quemadmodum a causa plerumque venerea ossium pars aliqua intumescit , ideo consulenda sunt , quæ nos in articulo de siphylide adnotavimus .

ORDO

*Pars ex sua sede dimota tumorem faciens .*

## H E R N I A .

*Partis mollis ectopia, cute, & aliis integumentis adhuc tecta.* Intestinatorum extra abdominis ambitum prolapsus, Herniae generali vocabulo comprehenduntur. Dantur, & herniae internae, nos vero de illis loquimur, quae tumorem efformant. Varia rursus obtinent nomina a loco, quem occupant; etenim si collocatur Hernia in anulo vasorum spermaticorum, dicitur Bubonocele. In umbilici regione dicitur Exomphalos, sive Hernia umbilicalis. Versus Caput femoris, paulo infra ligamentum Poupertii est Hernia femoralis, sive genuina Inguinalis. Omnes vero generali appellatione Herniae Ventrals nuncupantur. A parte deinde, quae extra propriam sedem prolabitur dicitur, interdum Enterocoele ob intestini prolapsum, interdum Epiplocele ob protrusionem Omenti, modo Enteropiplocele, modo Epiplo-enterocoele, dum scilicet extra abdomen protruditur Intestinum, una cum Omento, aut Omentum cum aliqua intestini particula. Herniae ulterius in recentes, aut inveteratas, completas, aut incompletas Chirurghi diviserunt, ubi intestini prolapsus incipit, & adhuc imperfectus est, incompleta, contra si absolutus est prolapsus dicitur Hernia completa. Rupturae nomen, quo vulgo herniae designantur, parietum abdominis, & praesertim Peritonaei lacerationem supponit. Verum recentiores nunquam in Hernia Peritonaei lacerationem evenire contendunt; siquidem tumor herniosus per gradus perficitur, atque contentorum pondere, & actione Peritonaei compages dilata-

tur, atque universalem tumori involucrum suppe-  
ditat; quandoquidem pars haec summopere dilata-  
bilis est. Sed nonnulli sunt casus, in quibus Pe-  
ritonaeum procul dubio laceratur, quemadmodum  
in magnis herniosis tumoribus, unico temporis mo-  
mento efformatis. Intestina in Sacco hernioso li-  
bera manent; nec nisi post longum tempus cum  
vicinis partibus cohaerent, & tunc rursus reduci  
hernia nequit. Epiploon contra facilius connecti-  
tur, cum proximis sedibus, quia vermiculari mo-  
tu caret. Aliquando etiam libera intestini pars re-  
tropellitur, involucri tamen extra abdomen re-  
manent, quia vicinis partibus adhaerent. Pars su-  
perior sacci herniosi, inferiore angustior undique  
tendinea est; hoc in loco ob varias causas herniae  
strangulatio oritur, quae efficacissimam postulat  
chirurgicam operationem. Eveniunt herniae in  
pueris, hominibus praesertim oboeso corporis ha-  
bitu praeditis, non quia flaccida laxaque solidor-  
um constitutione gaudent, sed quia dum abdomi-  
nis moles augetur, vehementer intestina versus in-  
feriores exterioresque sedes protruduntur. In te-  
nerrimis infantibus frequentissimae sunt herniae,  
quia totum corpus fasciis arctissime circumpositis  
undique premitur, aliquando hoc accidit post affi-  
duos puerorum ejulatus. Mulieres difficilius bubo-  
nocele laborant, incidunt tamen in hernias infra  
ligamentum Poupartii, & in Exomphalum. Mul-  
tae sunt causae accidentales, quibus hernia gigni-  
tur, cursus immoderatus, longa incommodaque  
equitatio, risus diu protractus, magna intestino-  
rum repletio, alui morbosum silentium, & caetera  
eiusdem naturae. Herniosi saepe doloribus ventrali-  
bus corripiuntur, proprio tamen apparatu detentus  
tumor nullam, aut parvi sane momenti molestiam  
affert. Verum strangulato intestino statim vomit-  
us,



tus, febris, spirandi difficultas, obstipatio, tumoris durities, ac dolor, cum linguae ariditate eveniunt. Tunc illico ad operationem deveniendum, quo enim serius perficitur, eo citius aeger perit. Si operatio negligitur, brevi pulsus fiunt parvi, interni, profundissimi, & inaequales, artus evadunt frigidi, singultus cum vomitu stercoraceo excitatur; tunc mors in propinquo est. De hernia, utpote de morbo comuni, saepe tamen gravissimo, & lethali longius disputavimus. Praeter adnotatas species mitto diversissima profecto Ectopiarum Genera a Sauvagesio proposita. Hujus enim naturae casus numquam observavimus. Describuntur itaque Exocyste five inversio vesicae urinariae, Hepatocele, five *Hepatis trans laxatos, diductos in umbilici vicinia abdominis parietes, vel per ipsum umbilicum Ectopia herniosa*. Tertio loco est Splenocele, five hernia Lienis, Hysterocele five hernia uteri, Cystocele five hernia vesicae urinariae trans annulos inguinales productae. Denique loquitur de Encephalocele *five de Cerebri, cerebelli, aut utriusque, verbo Encephali, per ossium cranii, non penitus ossificatorum hiatus prorumpentis ectopia herniosa*.

## P R O L A P S U S.

*Partis cujusdam Ectopia nuda*. Uteri prolapsum observamus cum magno periculo, post partum laboriosum, aut mensium profluvium. Intestini recti prolapsu pueri ob validos conatus in alui exoneratione laborant. Eadem aegritudine afficiuntur etiam, qui copiosissimo haemorrhoidali fluxu perturbantur.

LU-

*Os ex sua in Juncturis sede dimotum*. Exarthrema, Diaftasis, Luxatura, omnia sunt Luxationis synonyma. Ut plurimum vehementes causae, uti lapsus, contusiones, distorsiones in artubus, varii generis luxationes gignunt; aliquando etiam luxantur ossa a levissima quamvis causa, & hoc pendet a positione, in qua articulus reperitur, saepissime enim, vel a simplicissimo motu, magnae eveniunt luxationes. Dum ossium articulatio per vim separatur, magno humorum affluxu affecta pars, aut inflatur tantum, aut cum tumore rubet, molestissimumque excitat dolorem. Neque dolor acutus cessat, nisi post ossis propria in sede reductionem. Multorum ossium luxatio sine ullo periculo accidit, ac facile superatur; verum in luxatione femoris, non solum difficillima est reductio, sed quia effusis copiose humoribus, & ob stimulum in affectam partem confluentibus, acetabulum, nempe articuli cavitas angustior redditur, femur excludit, unde claudicatio. Ob eandem rationem possunt in vicinis partibus abscessus fieri; aut dolores Ischiadici, ob nervorum compressionem eveniunt. Nequit luxatio perfecta evenire, juxta doctiorum chirurgorum sententiam, nisi laceretur articuli capsula, unde saepe facillime reducuntur ossa, saepe summa cum difficultate, etenim si foramen capitis ossis respondet facillima erit reductio; sin minus contra. Quod quidem nunquam eveniret, si in luxatione integra remaneret articuli capsula.

ORDO

## O R D O VII. D I A L Y S E S .

*Solutio continui visu tactuque manifesta*, componit diversa hujus ordinis genera, quae diversa appellatione dicuntur Plagae, Exulcerationes, & Dissolutiones. Agitur vero de exterioribus tantum non de internis exulcerationibus.

## V U L N U S .

*Soluta unio recens, cruenta, partis mollis, a corpore duro, moto.* Vulnus, Punctura, Laceratura, Amputatio, variae sunt ejusdem generis species, Superficialis, ac nullius momenti continui solutio dicitur Punctura. Laceratura fit fibrarum inaequali solutione. Amputatio vero est magnum vulnus, quo pars aliqua corporis abscinditur. A loco vulnerato, a profunditate, a vicinarum partium laesione, atque a temperamento aegroti, multa in vulneribus accidentia oriuntur, aut magis, aut minus periculosa. E. G. vulnera capitis praesertim in occipitali regione, quaeque satis profunda sunt, atque ossibus laesionem afferunt, aut ob simplicem percussione vehementiam, in subjecto cerebro suppurationem gignunt lethalia sunt, febrem enim, soporem, delirium, vomitum, paralysem validaque convulsiones inducunt. Omnia periculosa sunt vulnera, quae ad nervos majores perveniunt, aut, quae ob magni alicujus trunci arteriosi lacerationem incoercibiles excitant haemorrhagias. Pectoris vulnera, non solum ob pulmonis saepe lacerationem periculosissima sunt, sed etiam, quia aer atmosphaericus thoracem ingressus spirandi difficultatem, & mortem ipsam operatur. Quamvis vero in hoc casu multi acutum stadium praetergrediuntur; tamen tabe, aut Phthisi pulmonali affe-

*affectu percussit.* Abdominis vulnera valde periculosa sunt, praesertim si intestina, ventriculus, hepar &c. laesionem aliquam patiuntur; tunc vomitus, singultus, meteorismus, & similia eveniunt accidentia.

ut augetur: U L C U S.

-*ignis* *indis*

-*Partis mollis solutio purulenta vel ichorosa.* Multiplex profecto morborum series hoc genere complectitur; Ulceris enim species sunt Sinus, Fistula, Phagedaena, Carcinoma, Ozaena, & alia huiusmodi. Vulnera omnia post elapsam inflammationis stadium, in continui solutionem purulentam, nempe in ulcus transeunt. Saepe a causa interna cutis exulceratur, quemadmodum in protracta aetate observamus. Mulieres passim in ulcera tibiarum insanabilia incidunt, post menstruorum defectum. Ulcerum diuturnorum consideratio in morbis acutis, magni momenti res est; etenim si pus emittunt humida, & naturaliter rubra sunt, bonum; si contra arida, & livescentia malum adnotante Hippocrate. In ulceribus juxta differentiam partis affectae pulsuum character variat; constans semper est parvitas, tarditas, ac raritas in ulceribus diuturnis artuum inferiorum. Ulcera faucium pulsus superiorem, attamen parvum, & inaequalem reddunt. Si in ano sinus fistulosus existit arteria sinistra, non parvam in media parte elevationem habet. Sed de his fusius in nostro de Pulsibus tractatu disputabimus.

H E R P E S.

*Phlyctenae, vel ulcuscula plurima, gregalia, serpens, dysepuleta.* Ab interna causa, humore scilicet corrosivo, indomabili, indolis scorbuticae, cutis

cutis modo hoc, modo illo in loco, & praefertim in artubus infestatur. Solet herpes inveteratae Lui Celticae supervenire; hoc enim veneno saevissimum scorbutum generari superius demonstravimus. Si ad partes internas Herpetis causa determinatur graviora exurgunt incommoda. Nuper vidimus in homine diuturna herpete vexato copiosum sanguinis sputum, cum omnibus signis pulmonis essentialiter affecti.

## T I N E A .

*In cute capillata ad radices capillorum, ulcuscula humorem in crustam albam friabilem abeuntem fundentia.*

## P S O R A .

*Pustulae, & vulcuscula pruriginosa, contagiosa, manus male habens.* Hoc titulo pertractatur tantum de scabie, vulgatissimo nempe morbo contagioso, quo non solum manus, sed pedes, tibiae, axillae, pectorisque pars anterior infestantur; ulcuscula sunt, ut plurimum sicca, intolerabilem pruritus gignentia, saepe etiam pustulas largiores, crasso pure refertas efformant. Veneno venereo scabiei causa fortasse majorem activitatem acquirit. Vulgo ab animalculo nempe Acaro scabiei ortum ducere existimatur. Pellitur linimento sulphureo, Tinctura Hellebori, ac Mercurio sublimato corrosivo. Morbi hujus curationem non statim esse suscipiendam vulgares medici existimant, quia pustularum noxiam substantiam, non sine magno valetudinis detrimento introvertitur, quod omnino falsum est.


FRA

## FRACTURA.

*Offis partes a cohaesione in magna fragmenta vi solutae*. Simplex modo, modo complicata est fractura, simplex fractura dicitur, ubi in loco, aut in vicinia partis separatae, nullum adest vulnus magis momenti; complicata rursum fractura illa est, in qua reperitur circa os vulnus, aut magna, atque profunda laceratio. Non solum ob continui solutionem vulnera haec magis periculotam reddunt fracturam, sed quia aeri liberum accessum suppeditant; unde gravissima semper accidit suppuratio. Convulsiones fracturis complicatis supervenientes malae. Fracturae cranii, fere semper sunt lethales, ob noxas, quas cerebro inferunt, & ob curationis difficultatem, & quia nervorum principium in hoc casu laeditur.

## C A R I E S.

*Ulcus offis*. A morbo venereo, scorbuto, tumoribus terosis, spina ventosa, aliisque acerrimis causis, ossium substantia integre corrumpitur, atque pessimum foetidissimum, nempe, ac sanie refertum ulcus gignit. Lues Venerea non nisi post longum tempus tumores in ossibus cum carie generat, siquidem primis temporibus tenacitate, potius, quam actione corruptoria donatur. Caries curatur non topicis tantum, sed universalibus medicamentis.



F I N I S.

















